R IVi Kc, 110.

R
2643

DE CON

IVGIO EPISCOPORVM ET DIACONORVM AD VENERANDVM DOCTOREM VVOLFFGANGVM REISSENBVSCH *monasterij Lichtembergensis Præceptorem per Ioannem Bugenhagium Pomeranum.*

Acc. 3755
BIBLIOTH
ACADE
DORP

4-IV A
13629
i 52130514

EPISTOLA GRATVLATORIA.



Octori VVolffgango Reissenbusch humanarum legum non uulgari interpreti, monasterii Licbtembergensis ordinis sancti Antonij Præceptori, domino suo in Christo uenerando. Ioannes Bugenhagius Pomeranus.

Gratiam & pacem a deo patre nostro & domino nostro Iesu Christo. Quando amicorum sunt omnia communia, atq; adeo quando Christianorum est gaudere cum gaudentibus flere cum Flentibus, non incommodum iudicaui doctissime doctor, ut antehac de tuis nuptijs apud me sancte gauisus sum, ita nunc publico gratulari scripto, Nam per hoc & alijs prodesse cupimus, dum non solum sapientibus uerũ etiam quibusuis debitores sumus.

Gaudeo itaq; tibi contigisse quod semper uoluimus & optauimus, ex quo intelleximus te ad hoc a deo creatum ut non liceret bona conscientia tibi aliter uiuere, nempe contigisse uxorem, secundum animum (quemadmodum audiuimus) modestam &

Vxor optima est quã secundum deum diligere potes.

tuis moribus commodissimam, secundum corpus talem quæ tibi non displiceat, Quam ut non dubitamus te ex fide duxisse ita non ignoramus a deo tibi datam, secundum illud in prouerbijs, Diuitiæ dantur a parentibus, uxor autem prudens proprie datur a domino. & rursum, Qui inuenit mulierem inuenit bonum & hauriet iucunditatem a domino.

Felix certe maritus est qui ubi commodam a deo acceperit uxorem diligere potest, reliqua quæ mundus uulgo in coniugio miratur non contemno si adsunt modo secundum deum, hoc autem solum post fidem siue conscientiam bonam requirendum ut talis sit uxor quæ diligi possit. Sic enim ordinauit deus, relinquet inquit homo patrem suum & matrem suam & adhærebit uxori suæ, & erunt duo una caro. In quam dei ordinationẽ Apostoli Christi respicientes diligenter admonent ut uiri suas diligant uxores sicut propria corpora, ita ut Paulus non uereatur uiris exemplum proponere in quod uel angeli prospicere desyderant, dum dicit. Viri diligite uxoras uestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret, mũdans eã lauacro aquæ, in uerbo uite ut exhiberet ipse sibi gloriosã ecclesiã non habentẽ maculã aut rugã aut aliquid huiusmodi sed ut sit sancta et immaculata,

Vxorem autem te duxisse quam ames, præter ea quæ amicis nostris referentibus audiui, certissimo mihi argumento est, q̃ pauperem duxeris, id est eam in qua præter ipsam nihil spectaris, adeo placuerunt omnia ut extra eam cum ea nihil requireres Nuda Eua Adamo data est, Vtinam hoc exemplum imitarentur qui uxores diuites malunt q̃ amatas. Quod si pecunia cum dilecta sponsa uenit quis contemnet? At non uelle sponsam nisi cum pecunia raro feliciter cedet, nunquam autem, si solam quæris pecuniam alioqui non accepturus sponsam. Vides igitur uenerande doctor quam non uanum sit meæ gratulationis caput & summa dum tale commodum taleq̃; deibeneficium tibi gratulamur.

Verbũ defacit marito commodam uxorem.

Quin & gratulamur tuæ uxori q̃ talem mariti dei munere acceperit, qui, quemadmodum Petrus monet, nouit ei secundum scientiam cohabitare & quasi infirmiori uasculo muliebri impertiri honorem ut cohæredi gratiæ uitæ. Nam si reliqua quam habes eruditio prudentiorem te facit, profecto sacræ literæ quas amas pium non facere non possunt, Prudentia autem si pietas siue timordei & religiosus cultus adfuerit quid non feret in infirmiori uasculo, quod, utcunq̃; infirmum, nouit esse cohæres gratiæ uitæ? atq̃; adeo quid non iucundi hæc scientia

Bona conscientia in coniugio.

uerbi dei inueniet in fœmina, utcumq; uideantur quædam carni molesta? quam ex manu dei primum nouit se accepisse egregiũ certe dei depositum, deinde et eandẽ esse consortem gratiæ uitæ per Iesum Christũ dominũ nostrũ, in qua iam licet spiritũ sanctũ inhabitatorem adorare, Neq; hic pharisaica iusticia statim iudicet non esse Christianam quam infirmam uidet & quandoq; ineptire, quando Petrus spiritu dei plenus infirmius uasculum uocat & tamen cohæres gratiæ uitæ. Esto quandoq; non satis Christiana contingat fœmina, nihil mirum si Christus per talem uirum Christianam faciat, quemadmodum Paulus Corinthijs scribit.

Mulieris regnum in terris.

Non possunt fœminæ maiores diuitiæ, maior honor et dignitas in hoc mundo contingere quàm si piũ & modestum maritum á deo acceperit. Consulis aut regis uxorem fieri, ad ista certe nihil est, fœlix tantum si hoc fœmina agnoscat, Nam hic plane utcumq; secundum legem marito subdita sit tamen regnat, nec ullum maius regnum in terris conse-qui potest, Procul dubio itaq; inutilis sit necesse est qui non hic tuæ uxori congaudet.

Præterea aliis quoq; gratulamur qui tuo exemplo confortati paulo post sequentur, in quibus sunt canonici, Abbates, episcopi, Non dubitamus enim esse utcunq; paucos qui expectent occasionem, utquando q; fractis Antichristiani iugi uinculis, cum Loth ex Sodamis pereuntibus perrumpere liceat. Nam tamet si misericordia & liberalitate dei patris, per doctorem Martinum Lutherum ita ueritas de impio clericorum cælibatu á Satana inuento, & de sanctitate coniugij inter masculum & fœminam a deo instituti indicata sit & uia aperta, ut nemo bona conscientia secundum uerbum dei contradicere possit, tamen uel trepidæ conscientiæ aut alioqui timidi mortalium animi non facile sese ad iter accingunt nisi duces præcesserint, Atq; hic mi doctor credito multos in occulto gratulari tibi qui id publice mecum fateri non audent, Suis enim quisq; necessitatibus adhuc constringitur donec deus uelit meliora. Miserum est hodie regnum Papisticum, quod etiam oderunt multi qui amplecti & fouere falso existimantur.

Precamur igitur deum patrem nostrum & dominum nostrum Iesum Christum ut sancte tibi cum uxore conueniat fiatq; tuum istud coniugium erudita sanctaq; sobole beatum. ut per te perq; alios eruditos et pios parentes redeat sancta puerorum institutio, ad multiplicandum pietatis regnum per Iesum

Sancti parentes, sancte instituunt filios.

Sancta & literata puerorum instituto periit, dum parẽtes et pietatis et literarum sunt contemptores.

Christum dominum nostrum. Amen. Nam olim quando episcopi & uerbi dei ministri pudicas habebant coniuges, educabant filios omni castitate, modestia & sanctitate probatos, id quod & Paulus in eis requirit ad Timotheum scribens. hic a pueris parabantur ad ministerium ecclesiæ eruditi sanctiq; uiri qui cum fiducia prædicarent uerbum, confunderent impietatem, resisterent hæreticis, ac demiq; quasi per manus etiam filijs suis auitam traderent pietatem.

Istam tam beatam suæssionem inuidens ecclesiæ dei Satan, per superstitionem & hominum traditiones inuexit nobis cælibatum, qui quàm impurus fuerit uiderunt etiam sæcula præterita, quàm uero impius sit inuulgatur per uerbum dei hodie toti mundo. Hinc factum ut pro priscis illis eruditis habeamus stupidos asinos licet magnis titulis insignes, pro pijs superstitiosos, pro regno dei regnum Satanæ. Quomodo enim uerbum dei permanabit ad posteros nisi eruditatur iuuentus, quemadmodum diligenter præcipit in lege deus? Non enim semper inuitis nobis et ingratis deus obtrudet prædicatores uerbi sui quemadmodum hodie facit, sed uult ut ex isto semine tam cælitus oblato paremus uberes prouentus posteritati, alioqui indigni sumus qui uel nunc utamur pane sancto uerbi dei. Sic in psalmo non solum pro se sed etiam pro posteris orant per uerbum dei illuminationem, dicentes. Appareat apud seruos tuos opus tuum, & decor tuus super filios eorum. Verum qui eruditur filij a parentibus ineruditis quando sunt ablata coniugia uel maxime ab illis quibus incumbit tractare uerbum dei? Nemo iam postquam pereunt papistica lucra curat eruditos filios, ut uel sic Satan agat quo post nostra tempora pereat sacri euangelij prædicatio, Speramus tamen q, dei benignitas per eruditos sanctosq; parentes nobis pietatis semina sit relictura, nisi breui Christus extremo illo die aduenerit.

Tu uero eruditissime doctor, cui non possunt displicere quæ Christi sunt, communem patrem pro nobis & pro fratribus nostris orato & hoc propensæ meæ in te uoluntatis officium boni consulito.

DEFENSIO

Sed ne optime Præceptor quis nos interturbet dum ita congaudemus, suscipiam quoq; prouinciam respondendi siue superstitiosulis amicis siue inuidis aduersarijs, qui forte contendunt non oportuisse te fieri coniugem, ut uideant quàm bona conscientia

simus coniuges & armati uerbo dei quàm nihil moremur quicquid illi obiecerint · Neq; uero repetendum hic est an clericis liceat abijcere cælibatũ · sed tetutumq; factum ita defendam ut per hoc forte aliis quoq; seruiam ·

Indigne sentit mundus de coniugio ·

Aiunt · non oportere hic gratulari ubi amicus in miseriam incidit & onus sibi potius quàm libertatem comparauit, quando & paulus dicit · Bonum est homini mulierem non tangere, Dico non nuptis & uiduis, bonum est illis si sic permanserint sicut & ego · Tribulationem carnis habebunt coniuges, uolo autem uos esse sine solicitudine · Qui sine uxore est solicitus est de iis que sunt domini quomodo placeat deo &c· Respondeo· Non ignoramus quæ impius mundus contra coniugium á deo institutum iactitet, quid miseriarum in eo inueniat & reprehendat, hunc igitur relinquamus sibi, premium certe suum in sinu portat damnati coniugij, auertat nos deus ab illa miseria & onere, Neq; ignoramus quid Hieronymus ex suo Theophrasto et aliorum impijs sententijs producat quo dehortetur á cõiugio, et licet uelit uideri non damnare coniugium magna tamen pars est male confirmati clericorum cælibatus ·

Tunc igitur miseria conscientiarum nos premebat & onus, quando urebamur & propter constituti onem hominum non licebat ducere uxorem, propter timorem autem dei non licebat scortari· Nunc autem per coniugium liberæ factæ sunt nostræ conscientiæ quando optime conscij nobis sumus in hac parte q, non contra deum sed quod deo placet facimus, Nam eius uerbum quo conditum, institutum, benedictum est coniugium nos non fallit, Incommoda carnis quæ illi magni æstimant ne tantillum quidem curant Christiani, ubi pro conscientiarum libertate corã deo subeunda sunt, Christianus non est qui pro aliqua carnis incommoditate contra conscientiam in conspectu dei uiuere audet · Misera seruitus est ubi conscientiæ non sunt liberæ ·

Conscientiis consulendum etiam cũ tribulatione carnis·

Porro uerbis Pauli omnes abusi sunt quotquot ex eis cœlibatum clericorum statuere uoluerunt, neq; bonos hic uiros præstiterunt, tantum abest ut iure eis in hoc credi debuerit, Tu ne uirum bonum putas qui contra conscientiam (quemadmodum quidam rabulæ forenses faciunt) ius scriptum ita peruertit, ut quod maxime contra ipsum facit quasi pro sua causa faciat uelit uideri, deinde reliqua omnia tacet quæ addita sunt quibus suum non iuris negotium agere statim deprehendi posset? Esto sibi hoc licere putent filij huius sæculi, in ijs uero qui filij lucis haberi uolunt insuper & uerbi dei interpretes

Abutuntur quidam scripturis·

quam

quàm non deceat ista uafricies, quis piorum non uidet? At dicis Hieronymum & quosdam alios hoc loco istud feasse, Nihil moror eti amsi mihi angelum aliquem e cœlis opponas, perpetuo dicam, non licere ulli creaturæ ne angelicæ quidem agere contra ius diuinum, quanto minus aliquid statuere?

Sic igitur ferè tractarunt quidam hunc locum, Bonum est mulierem nõ tangere siue uxori non copulari, quasi Paulus uelit intelligi, malũ esse homini mulierem tangere siue uxori copulari, et hoc malum interpretati sunt peccatũ tumẽ excusabile peccatũ propter bonũ coniugij. Sáo quæ dicant de excusata concupiscentia, Tamen Paulus eo loco hoc non agit, immo hoc solum per totum caput, ut Christiani per coniugum a deo institutum & sanctificatum uitent scortationem a deo damnatam & impiam. & hoc necessarium esse ijs qui uruntur, id est qui tentantur ut ad impuritatem & animi & corporis defidant. Cæterum qui non uruntur, id est, quemadmodum dicit, qui habent donum perpetuo continendi a mulieribus & non conaspiciunt mulierem quæ ipsorum non est, quemadmodum Christus castitatem interpretatur, sed puro corde solum soliciti sunt de ijs quæ sunt domini, & quomodo placeant domino assidue sine mentis distractione. Hi inquit secundum consilium meum

Quibus liberum sit fieri coniuges uel non.

non

non secundum præceptum domini maneant cælibes, ut expeditius cogitent ea quæ sunt domini, dum nulla distractione mentis agunt, & non cogantur cogitare pro uxore, familia & liberis. Gratias agant deo, de hoc tam commodo dono, non de singulari merito quemadmodum impia hypocrisis interpretatur.

Quod si tales etiam qui donum dei acceperunt ut perpetuo continere possint, coniugio se dare uelint non peccant in deum, quando de uirginibus non est præceptum domini, & Paulus hic liberum dicit uel seruare uirginem uel non seruare. Sibi tantum iniurij sunt qui neglecta tanta commoditate a deo data, curis & solicitudinibus se sine necessitate permittunt. Sat crucis aliunde incumberet, ut non addant sibi hanc crucem a qua deus liberauerat. Nam talibus ferè crux est, dum recordantur coniuges, quàm sine coniugio sancte manere potuerint, nisi se solentur per deum cuius uoluntate fiunt omnia fieri, quando interim qui urebantur & necessitate urgebantur, pro accepto coniugio non possunt non grauí as agere, & gloriantur se libertatem ab hac necessitate coram deo consecutos, tantum abest ut doleant propter tribulationem carnis. De Christianis hic loquor, non de ijs qui suis immundis cogitationibus scortationc uolunt consultum, ante quorum oculos

timor dei

timor dei non est,

Sunt quædam digniora dona dei quàm perpetua uirginitas 1. Corinth. xiiij.

Hæc omnia manifestis uerbis agit illic Paulus. Quod si sic absq; peccato coram deo licet abijcere uirginitatem a deo datam, ut sit in libertate nostra ingredi coniugium, quo loco habebimus illos, qui uirginitatem & perpetuam illam quam uocant continentiam, suis uribus id est iniustitia, suis statutis id est prostitutionibus, suis uotis id est deuotionibus siue execrationibus, & suis iuramentis id est periurijs fœcerunt necessariam, etiam ijs quibus non datum est hoc donum a deo? Certe laqueos posuerunt animabus id quod Paulus quàm maxime euere uoluit, fidelis enim erat & misericordiam se agnoscebat consecutum a domino, Longe aliud isti sunt & longe aliter sentiunt. Fit nonnunquam ut multo digniora & meliora dona habeant quidam, quibus prodesse possent ecclesiæ dei multo melius, quàm nonnulli rudes et stupidi continentes, quæ tamen dona multum impedit hæc constitutionum humanarum necessitas, dum alijs consulturi, grauibus ipsi agitantur conscientijs. Nulli enim magis distrahuntur ut non cogunt quæ domini sunt, quàm qui uruntur ut cunq; cælibes. Hoc scilicet uoluit Satan, ut per istam traditionem non necessariam, necessaria dei dona impediret, & præterea peccata multiplicaret,

Itaq; non

Itaq; non obscurum est cur Paulus mulierem non tangere siue cælibem manere dicat esse bonum, nempe bonum, non (ut somniant nostri) unde sanctior sis coniugibus, quando & uirgines impiæ damnantur & Satanæ sunt, non unde tibi merita & coronas compares in cœlis, sed bonum (ut ipse interpretatur) propter præsentem necessitatem, Et rursum, Bonum, quia uolo uos esse absq; solicitudine, Hoc dico ad utilitatem uestram non ut laqueum uobis injiciam, Videsum non fingere merita sed proponere commoda, ut sint absq; solicitudine huius uitæ, quæ commoda si abuere uelint, faciant quod eis uisum fuerit, modo non scortentur sed coniuges fiant in domino. Id quod rursum sic dicit. Si acceperis uxorem non peccasti & si nupserit uirgo non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi, Ego autem uobis parco id est uolo uos esse absq; tribulatione huiusmodi, Tribulationem carnis uocat, non detrimentum salutis. Ex quibus luce clarius est, de quo bono Paulus tam sæpe illic dicat, quando etiam negat peccare uiduos, negat peccare uirgines si coniuges fiant.

Bonum est mulierem non tangere &c.

Hoc autem bonum illorum solum est, qui per donum dei, ut diximus, libertatem habent ut cælibes maneant, quamadmodum Paulus clare indicat. Vnusquisq; inquit proprium donum habet a deo alius quidem sic

Qubus bonum.

Quibus libe-rum ut maneant cælibes.

dem sic alius uero aliter. Et Christus, Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Et rursum Paulus, qui stauit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ uoluntatis, & decreuit hoc in corde suo, nempe seruare suam uirginem, bene facit. Igitur qui matrimonio iungit uirginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit, Ille inquit bene facit, quia coniugium est dei, Hic autem melius facit, quia dono dei, licet libero, utitur, & liber est á præsenti necessitate & tribulatione carnis quam habent coniuges, quæ interpretatio non nostra est sed Pauli, dum eius uerba non aliud patiuntur ut intelligas, ne hic fingas gradus illos meritorum.

Cæterũ quibus hoc donũ á deo nõ est datũ, ut maneant uirgines aut perpetuo continentes, iis certe non est bonum mulierem non tangere id est uxori non copulari, sed plane malum est eis, dum uruntur id est solidantur ad fornicationem á deo prohibitam, utcunq; ab opere externo abstineant, ut tacam mdigniora, quemadmodum & hoc loco tacet Paulus, non tamen alibi. Fit enim ut (quemadmodum scriptum est) qui amat periculum pereat in illo. Debebant itaq; perpetuæ continentiæ bucinatores bona fide reddidisse uerba Pauli, & non solum respexisse Pharisaiæ in fornicationem externam, sed etiam Christianę in fornicationem mentis, atque sic reddidisse.

Bonum est homini mulierem non tangere: Propter fornicationem autem unusquisq; habeat suam uxorem, & unaquæq; suum uirum, & hic mutuo sibi debitum coniugale persoluant, & dum ad tempus continent, non sine consensu mutuo contineant. Id est, Bonum est illi, cui á deo datum est manere cælibem, Qui autem fornicatione oppugnatur, ne pereat in periculo, habere debet remedium suam secundum deum uxorem, Dum enim uritur & ardet, oret deũ ut possit continere donec is det bonam uxorem. & non stulte se permittat perpetuæ continentiæ cum periculo suæ salutis. Non enim deus adiuuabit, quando contemnis adiutorium quod tibi creauit, ut non dicam q, hoc esset tentare deum.

Consolatio quorundã, donec grã desẽant in Christo.

Porró ijs qui non contemnunt hodie hoc remedium, sed uel propter Antichristi regnum uel propter eius reliquias inuinabili necessitate premuntur, non præscribimus leges, quando hoc non est nobis commissum á domino, sed eosipsos tantum admonemus in domino ut quantumcunq; se peccatores agnoscant commendent se & creatori & redemptori nostro domino nostro Iesu Christo, is aurabit

pro eis ubi etiam omnia desperata uidentur. Non enim potest deserere inuocantes. & mirabili artifitio per lapsum nos erigit, & per peccatum nostrum operatur iustitiam nostram, ita ut misericordiæ eius non sit numerus:

Etiam bonũ est mulierem tangere secundum deum tamen, quibusdam etiam est necessarium.

Illis itaq; quibus non est data perpetua continentia, non est bonum uxori non copulari, nisi tu bonum ducas scortari, id est ad incontinentiam urgeri, id quod deus prohibet & plane pro peccato habet. Neq; talibus est liberum uel iungi coniugio uel non iungi, sed plane necessarium ut iungantur, quia deus hic exigit coniugium & uetat scortationem. Iccirco si liberis est bonum non iungi coniugio, est & bonum non liberis id est quibus hoc non datum est, iungi coniugio, Quia uitas per dei coniugium id quod prohibet deus, nempe scortationem, Et si acceperis uxorem non peccasti, & qui iungit matrimonio suam uirginem bene facit, Non ergo Paulus ex eo quod dicit Bonum est homini mulierem nõ tangere, uult inferri, ergo malum est mulierẽ tangere, Nam si tangis secundum deum, quemadmodum dictum est, quomodo malum esse potest? aut certe quomodo non bonum esse potest?

Atq; hic accusandi sunt nobis papistæ qui iurant & uouent æstimatem quam intelligunt perpetuam continentiam de qua dictum. & ea iuramenta & uota ab alijs exigunt. Nam si eis datum est hoc donum á deo ut non urantur quemadmodum diximus, temere uouent & iurant, & non mirum si propter istam temeritatem deus hoc donum ausserat, quemadmodum timemus nonnullis fieri. Esto utcunq; uouere uel iurare liceret continentiam, quam quam hoc temerarium diximus, tamen perpetuam uouere non licet, quando semper ignoras in hac uita quid futurus sis, & Christianus scire debet omnia esse in manu dei. Vt uideas hic infidelitatem esse fontem huius temerarij uoti & iuramenti, Infidelitas autem quæ ex Satana est qui fieri possit ut deo placeat?

Iuramentũ & uotum de eo quod non dedit deus, primum uanũ est, deinde et impium.

Si uero eis nõ datum est, quid aliud quæso iurant sub nomine perpetuæ continentiæ quám scortationem, quam necessario perfidient uel affectu quem respiat deus? Nam hi scortationi necessario se permittunt ut peiora tacæam, dum coniugium per deum institutum, unicum contra scortationem remedium, abiurant. Id quod insigniter declarant illi, qui iam pridem suo periculo docti, addunt & addendum uouent in iuramento hanc conditionem. Quantum humana fragilitas permittit. Dum enim sentiunt hoc iuramento in æternum abiuratum coniugium, et tamen

Quantum humana fragilitas permittit.

men iurant se seruaturos continentiam quantum humana fragilitas permittit. quid aliud sentiunt, quam si humana fragilitas non permittit, se scortaturos? Certe humana fragilitas hoc nunquam permitteret, quando iam ante audisti perpetuam continentiam esse donum speciale quod á deo datur. Inter mille uix hodie unum qui hoc donum habeat inuenies. Nouissima enim atq; adeo nunc pessima tempora sunt. Sufficiat nobis si uel in sancto coniugio per gratiam dei nos contineamus. Qui uero hoc donum se sentit accepisse, uideat ne contemnat, sed rursum caueat quoq; ne hoc perpetuis uotis astringat. Dei enim donum est, quod tuis iuramentis non tenebitur, si is uolucrit auferre qui dedit. Vt liber sis ad coniugium si Deus abstulerit donum.

Si non caste, tamen caute.

Quod autem aiebant impij magistri & dicunt, Si non caste tamen caute, quis non contemnet? Quis enim nisi plane excæcatus adeo stupidus est, ut ubi fallit oculos hominum, se fallere etiam posse putet oculos diuinæ maiestatis? Qui uero inter eos sancti uidentur, deum & ipsi excæcare tentant per suas satisfactiones, dum secundum confessoris mandatum legunt. Miserere mei deus. &c. Deus uenerunt gentes. &c. Dum salutant sanctos suos & sanctas. Sed non sic euadent. Propter tuam enim præsumptionem

sumptionem deus non mutabit suam ordinationem. Stulti sunt qui dum non præcauerunt periculum, ne post lapsum quidem resipiscunt, Fugiunt ad illa quæ non prosunt, & quod instituit deus uelut hæreticum contemnũt, sed pœnam sui contemptus per iudicium dei coguntur in sinu portare.

Nesciunt qui sic dicũt de quibus affirment.

Postquam iam ostendimus uel ex eodem Pauli loco, etiam bonum esse mulierem tangere siue uxori copulari, et plane sanctum esse atq; adeo necessarium ijs quibus non datum est a deo ut aliter munde uiuant, facile contemnemus illorum ineptias & crassissimam ignorantiam, qui ut dehortentur á sancto coniugio, & commendent suum illum uotis & turamentis comparatum cælibatum, Hoc uulgo iactitant. Spirituale coniugium præferendum est carnali, ergo sanctum est abstinere á carnali coniugio ut conuunx fias spiritualis. Addunt quoq; illud sancti doctoris dictum. Nuptiæ terram replent uirginitas paradisum. Præterea ex Apocalypsi illud capit. xiiij. Nemo poterat dicere canticum illud nouum nisi illa centum quadraginta quatuor milia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, uirgines enim sunt. Hi sequuntur agnũ quocunq; ierit. &c. Christiani (inquiunt) non debent esse solidi pro terra pro sed pardiso replẽdo, neq; coinquinari

quinari cum mulieribus sed summa puritate sequẽ agnum quocunq; ierit.

Dispeream si intelligant quæ dicunt, & ferè impij nebulones & scortatores sunt non uirgines, qui talia nobis obijciunt, Obijciunt uero, non ut meliores euadamus, qui possunt decem scorta, satis magna & ampla conscientia, potius nobis permittere, quàm unam secundum dei ordinationem coniugem, sed tantum ut per hec stultis imponant, & ruditi uulgo nostrum coniugium probent esse damnatum, & se esse in optimo sanctissimoq; statu, qui status non solum meliores coronas pre coniugibus in cælo accepturus sit, sed etiam in terris sit aliorum saluator, Isti sunt pseudoChristi, de quibus Christus prædixit. Facile quemadmodum dixi mi doctor tales ineptias contemnemus, & impiam ignorantiam quæ docèri non uult & tamen docère præsumit. Sed sustineto ut & hic respondeam, propter infirmiores fratres qui hisce uocibus nonnihil solent moueri.

Spirituale coniugium Sataniæ intellectum.

Spirituale coniugium longe præferendum carnali, is solum ignorat qui non nouit quid inter spiritum & carnem intersit. Illi autem qui solos cælibes coniugij spiritualis partiapes faciunt, coniuges autem excludunt & omnino ignorant quod nam sit spirituale siue spiritus coniugium. Hinc audies quosdam ineptissime dicentes. Sacerdotes (sic enim uocant eos) non debent habere aliam uxorem quàm sanctam ecclesiam. Quibus dicimus q, hanc iniuriam non sustinebit Christus, qui solus est sponsus suæ ecclesiæ, quam acquisiuit sibi sanguine suo. Voluit iam pridem & Papa huius sponsi uicem gerere sed hodie adulter spiritu oris Christi ueri sponsi exufflatur, & in consæntijs hominum occiditur. Si uero dixexint Christum sponsum & se sponsam, sæant & carnales coniuges, modo Christiani sint, ad illud spirituale coniugium pertinere, extra quod spiritus sancti coniugium nemo est Christianus. Immo ijs qui hodie spirituales se dicunt, si ex operibus suis quærunt salutem, Christus nihil prodest, & ad coniugium istud spiritus dei non pertinent sed Sataniæ sunt. Non enim præstant uirginem castam Christo per fidei simplicitatem, sed seducuntur à serpente uelut Eua, id quod timuit Paulus suis Corinthijs.

Nuptiæ terram.

Veniamus quoq; ad id quod dicunt. Nuptiæ terram replent, uirginitas paradisum. Ineptus fuero si carem omnium hominum uocibus respondere, satis nobis superq; est q, uerbo dei, quod à nobis stat, nos expugnare non possunt, atq; hæc est gloria nostra in deo. Libet tamen nunc indicare quid ualeat

hoc uerbum humanum hactenus quasi quiddam sanctum iactatum. Primum, ne ambiguitate sermonis elabantur, ubi uiderint conatum male cessisse, & ut uideant falsum esse quod dicunt atq; adeo impium, certum est eos de corporis uirginitate loqui, quemadmodum et de corporeis nuptiis siue carnalibus, quas nemo ignorat replere terram, secundum dei institutionem. Crescite & multiplicamini & replete terram. Si tale uerbum dei haberent uirgines carnales de replendo paradiso. non opus esset hac nostra contentione.

Hic si uerum dicunt, non debent nobis obstrepere, q̃ multiplicamus nuptias, sed potius gratias agere, q̃ tam ex multis nuptiis proueniẽt multæ uirgines, unde suum repleant paradisum. Nam si cessarent nuptiæ, unde quæso acciperent tam sanctum prouentum? Sed hic ait Hieronymus. Nullum periculum ne pereant nuptiæ, etia si multos cohortemur ad uirginitatem. Stultorum enim semper infinitus erit numerus. O uocem dignã sancto uiro. Stultos uocat qui coniugium petunt quando scriptura stultos uocat infideles, nihil spiritus habentes, nihil cum deo commercij. ut in psal. Dixit insipiens in corde suo, non est deus. sed donemus istud erroris humanitati sancti uiri. Cupimus tantum ut uideas quantum interfit inter uerba

inter uerba hominum & uerba dei. ne illa his æques quemadmodum hactenus malefactum, id quod tamen suis scriptis nullus unquam sanctorum postulauit. Omnis caro fœnum & gloria eius ut flos fœni, Flante spiritu dei exiccatum est fœnum & cecidit flos, uerbum autẽ dei nostri stabit in æternum Amen.

Non autem est uerum quod dicunt Virginitas replet paradisum, atq; ideo non est hoc dictum per spiritum sanctum, qui est spiritus ueritatis. Nam constat Turcarum & Iudæorum uirgines damnari, & Christianorum meretrices saluari. Nemo unquam sanctorum patrũ quos nobis obijcitis aliud sensit. sed uos per impietatem, quæ illi ut homines minus caute dixerunt, abutimini ad abnegationem gratiæ dei & gloriæ fidei Christianæ. Agite respondete. Saluantur ne infideles uirgines? Oportet inquiunt Christianas esse uirgines quæ repleant paradisum. Audio. sed uidete ut hic prudenter agatis, ne his uerbis fateamini Euangelium sanctum & gratiam domini nostri Iesu Christi, id quod diligenter solecitis cauere, ne Lutherani fiatis, sic enim hodie uocatis Christi Euangelium habentes, quemadmodum Iudæi primum, deinde & Iulianus Augustus apostata Christianos uocabant Galilæos & Nazarenos, nempe irridentes q̃ á Galilæa et Nazareth Christus

Virginitas non replet paradisum sed fides.

 secundum

secundum scripturas uenire non posset.

Si enim ut dicitis. Virgines replent paradisum, sed solæ illæ quæ sunt Christianæ. repleto paradiso quis illic locus dabitur aliis qui non sunt uirgines; aut forte uos ipsi quem locũ habebitis in paradiso? Nos autem dicimus id quod negare non potestis. q̃ non solæ uirgines Christianæ sed etiam uxores Christianæ & mariti Christiani atq; adeo & latrones & meretrices & publicani ad Christum conuersi repleant paradisum. Sic enim non uirgini sed latroni Christus dixit. Hodie mecum eris in paradiso. Et contra iustitiarios uestræ hypocriseos patres. Meretrices inquit & publicani præcedent uos in regnum cœlorum.

Vbi nunc est uestra illa carnis uirginitas quæ repleat paradisum, quam Paulus non tanti facit quanti uos, sed ait licere, ut etiam perpetuam si acceperis á deo uirginitatem tradas coniugio, secundum tuam uoluntatem quemadmodum ante dictum? Non audis hic uirginibus promitti paradisum sed Christianis. Christiani non sunt. nisi qui credunt in Christum, id est q̃ Christus sit ipsorum iustitia & uita æterna & preterea nullum opus nullaue creatura neq; in cœlo neq; in terra. Ergo si uultis audire á Lutheranis

Fides

Fides replet paradisum non uirginitas. Virgines nascuntur, fideles renascendo fiunt. damnata est natiuitas, nisi renascamur non est nobis salus, Fides exigitur á nobis, sine fide enim impossibile est placere deo. Non autem exigitur uirginitas, quia de uirginibus inquit ille, præceptum domini non habeo. Talia si sciretis non Lutheranos nos sed Christianos uocaretis, sed hanc appellationis gloriam non exigimus á uobis, negotium uestrum potius sit ut multa impudenter mentiamini contra nos propter filium hominis, Hec erit gloria nostra in domino.

Fides replet paradisum, non uirginitas.

Videamus ea quæ dicimus & ex parabola Euangelica. Ne dicatis nos uobis obtrudere tantum Turcarum & Iudæorum uirgines, de uestris etiam dicimus siue sint moniales siue aliæ sint etiam ex clericis & monachis si qui de sua perpetua uirginitate gloriari audent. De illis inquã dicimus quæ acceptis lampadibus exeunt obuiam sponso id est Christo, Has necesse est, uel esse Christianas uel saltem pro Christianis haberi. Harum quædam ingrediuntur cum sponso, quædam autem exclusæ audiunt, Nescio uos. Si quemadmodum dicitis uirginitas replet paradisum, cur hic quædam excluduntur ne repleant paradisum, cum tamen omnes dicantur esse uirgines, Si uero istis exclusis nihil prodest q̃ uirgines sunt, certum est

tum est, alias quæ ingressæ sunt propter uirginitatem non admissas, De uirginitate carnis loquor, de qua nostri aduersarij agunt, & de uirginibus solent ista legere in ecclesiis, licet parabola quiddam dignius adhuc habeat. Quare ergo quædam uirgines sunt susceptæ? quia prudentes erant. quare reiectæ aliæ? quia fatuæ erant.

Vides itaq; q̃ non uirgnitas susapitur ut repleat paradisum, sed prudentia, sicut etiam non uirginitas abijatur, sed fatuitas, usq; adeo hic nihil respicitur uirginitas. Porro prudentia & sapientia est fides in Christum sponsum. quam sapientiam dignissime tractat Paulus in principio prioris epistolæ ad Corinthios. Fatuitas autem siue insipientia est infidelitas, quæ quanquam & ipsa inter nostros uideri uelit Christiana, tamen esse non potest. nam nulla fiducia nititur super sponsum Christum, sed sua uirginitate, suis operibus et iustiçis fidit, non sponso aut sponsi bonis. Fides sibi parat oleum intus in uasis. infidelitas tantum ornatis lampadibus id est speciosa hypocrisi contenta est. Iaꝛco illa recipitur, ista abijatur. Inunc, & iacta contra sacrum dei coniugum uocem non dei sed hominis. Virginitas replet paradisum.

Restat nunc ut de Apocalyseos loco dicamus, ut istis uirginariis respondeamus. apud quos quicquid scriptum est

scriptum est autoritatem habet, modo aliquid inuenerint quod uel in speciem appareat esse contra nos, ut maxime cotra ipsos uere sit. In eo libro decimoquarto capite sic dicitur. Et uidi, & ecce agnus id est Christus stabat supra montem Sion. quæ est ecclesia & regnum cœlorum. ita tamen ut alludatur ad montem illum Iudæorum ubi erat templum & omnia sacra dei. nam de ecclesia ex Iudæis hæc dicuntur ut audies. & cum agno stabant centumquadraginta quatuor milia, habentia nomen patris eius id est nomen dei scriptum in frontibus suis. necesse est ergo hunc magnum numerum esse Christianos, qui soli nomine dei patris sunt insigniti. Alij aliis nominibus sese uendtant quasi Christianissimi, sed dicitur eis, Non noui uos. Locus Apocalypseos de uirginibus.

Et audiui uocem de cœlo tanquam uocem aquarum multarum & tanquam uocem tonitrui magni. & uox quam audiui erat uelut uox Citharœdorum citharizantium citharis suis. Qui enim stant cum agno id est surrexerunt cum Christo, & fortes cum duce suo exeunt in prælium aduersus aereas potestates & regnum principis tenebrarum, prædicant & confitentur Euangelium pacis, quod primum interpretatione legis id est cognitione peccati, quando damnat omnia nostra, uox est aquarum multarum

& tonitrui

& tonitrui magni · quemadmodum Ro·i· dicitur · Reuelatur in Euangelio ira de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominũ qui ueritatem dei in iniustitia detinent · Deinde promissione remissionis peccatorum & æternæ uitæ fit uox atharizantium · quid enim dulcius audiri potest ?

Canticum nouum ·

Et cantabant quasi canticum nouum hoc est prædicabant et confitebantur Euangelium ante mundo non auditũ, & quod conscientiis misere pressis semper nouum est, nouosq; homines expulsa Adæ uetustate per spiritum efficit · De quo sæpe psalmista ait· Cantate inquit domino canticum nouum · Et cantabant ante sedem id est in conspectu dei siue fideli corde, nulla hypocrisi · & ante quatuor animalia id est in conspectu omnium hominum habitantium in oriente, occidente, meridie & septentrione, non enim abscondunt sub modio Euangelium sed prædicant & confitentur in publico ut & alij salui fiant · nec negant coram perseuatoribus · & ante uiginti quatuor seniores id est in conspectu duodecim patriarcharum & duodecim Apostolorum, quos & Iudæis & gentibus prædicasse non dubium est, eandem fidem, quam posteri eorum prædicant & confitentur · Atq; hic conuertuntur corda patrum ad filios, ut patres illi priores in fide agnoscant ueros filios id est eandem

Corda patrum ad filios.

est eandem fidem habentes, & corda filiorum ad patres ipsorum, id est (quemadmodum angelus repetit in Luca ex Malachia) increduli ad prudentiam iustorum · Sic autem istud canticum canitur in conspectu seniorum licet defunctorum, quemadmodum Christus de Abraham dixit· Abraham uidit diem meum & gauisus est. Gaudent hic patres de filiis, ut uideant in deo filios filiorum · Habet & Paulus discipulos de quibus glorietur coram deo & per deum in illo die · Talia uero aut similia uoluisse auctorem libri Apocalypseos colligo ex ijs quæ passim dicit, in primis quæ capite uigesimo primo, ubi meminit de nominibus duodecim tribuum filiorum Israel, & de nominibus duodecim Apostolorum, & de portis duodecim ad quatuor uentos siue partes mundi ædificatis· Si quis uoluerit aliter interpretari, per me licebit, Hæc haud in magno ponimus discrimine ·

Et nemo poterat dicere canticũ, nisi illa centũqua draginta quatuormilia, qui empti sunt de terra. Qui quæso ẽpti sũt de terra nisi Christiani, qui ex terreno regno in regnũ cælorũ redẽpti sunt sanguine Christi? Sic enim et illic.c·quinto dicũt agno·Occisus es et redemisti nos deo in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua & populo & natione, & fecisti nos deo regnum &

Empti de terra ·

gnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram, id eſt qui antea eramus ſub ſeruitute Satanæ ſuper terram iam regnabimus, & omnia in Chriſto ſubijcientur ſub pedes noſtros. Sic & Paulus Galatis ſcribit. Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundũ uoluntatem dei & patris noſtri. Et alibi. Empti eſtis prædo magno. &c.

Cantare cãticum nouum.

Hi itaq; qui ſic empti ſunt de terra, ſoli dicere poſſunt canticũ illud nouũ. Tentant & pſeudapoſtoli ut hactenus papiſtæ prædicare Euangelium, ſed ſuas cogitationes & humanas iuſtitias prædicant quæ uerum Chriſti Euangelium damnat. Tentant & hodie quidam qui Euangelia prædicatores eſſe uolunt, ſed plane nihil audis ex eis niſi acerrimas inuectiones contra monachos, contra clericos papiſticos, contra ieiunium feriæ ſextæ, contra inanem dei cultum & templorum ornatum, contra aquam benedictam, & ſimilia quibus hactenus ſeducti ſumus. dum talibus fidere docti fuimus. Cæterum Euangelium non audis, deſtruunt quidem quæ ſunt aduerſariorum, ſed non ædificant auditores in ſalutem, atq; adeo dum ſic pergunt, faciunt potius auditores omnis honeſtatis contẽptores, qui poſtea per blaſphemiam dicant hoc eſſe Euangelicum. Quid ergo obſtat quo minus dicant canticum illud nouum? Non poſſunt inquit, quia non acceperunt, non enim uere agnoſcunt ſe emptos de terra.

Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, uirgines enim ſunt. Hoc ſcilicet eſt quod pro uirginibus contra ſanctum coniugium ſoletis adducere. Audiſtis hoc dici de ijs qui ſunt ſignati in frontibus (id eſt mentibus & cordibus ubi deus uidet) nomine dei, de ijs qui cantant canticum nouum quod nemo alius cantare poteſt, de ijs qui empti ſunt de terra id eſt Chriſtianis, Cauete ne dicatis illos, qui peccatores & meretrices fuerunt, non eſſe Chriſtianos, contra Chriſti aſſertionem, quemadmodum ante diximus, Cauete & ueſtris quibuſdam qui ſe negare non poſſunt cum mulieribus coinquinatos, quos tamen Chriſtianiſſimos dicitis. Neque erit hic uobis ausugium ut dicatis iam non eſſe cum mulieribus inquinatos poſtq; egerunt pœnitentiam (utinam ueram) licet ante fuerint inquinati, nam ſtatim additur, Virgines enim ſunt, Virginitas corporis per pœnitentiam non redditur, quæ pœnitentia tantum poſtulat remiſſionem peccatorum, & ſecundum ueſtrum Hieronymum audacter hic pronunctiantem. ne deus quidem quando omnia poteſt, uirginem reſtituere poteſt, uellem uero tantus uir non tam audacter iudi-

cæſſet de dei poteſtate, Ergo non ſunt Chriſtiani qui cum mulieribus ſunt coinquinati, & ne penitentia quidem eis ualebit ut mundentur & fiant Chriſtiani, quando ad uirginitatem corporis redire non poſſunt. Videtis ne tandem quàm abſurda nobis ingeratis & quàm uobis ipſis incommoda, dum quæritis tantum ut dicatis, non ut recte dicatis. Sed ita oportet eos offendere ad lapidem offenſionis & petram ſcandali Chriſtum qui ueritati reſiſtunt,

Cum mulieribus coinquinari.

Hi ſequuntur agnum quocumq; ierit, Nonne & meretrices & publicani in euangelio agnum ſequuntur? Nonne ſequuntur & coniuges? Vt & hic uideas de Chriſtianis dici, quibus in Chriſto nihil obeſt q; non ſunt uirgines ſecundum carnem, immo meretrices multæ ſaluantur, multæ uirgines damnantur. Neq; uero protinus dabimus uobis, cum mulieribus coinquinari quotquot mulieribus copulantur, Nam coinquinantur ſcortatores & adulteri, non coinquinantur coniuges, Quid enim coinquinarentur qui non peccant, quemadmodum ante ex Paulo indicauimus? Sed neq; illud dabimus, Virgines ſunt ſecundum carnem, ergo cum mulieribus non ſunt coinquinati Poſſunt enim cum mulieribus coram deo coinquinari qui adhuc integra carne ſunt, teſte Chriſto qui ait. Qui uiderit mulierem ad concupiſcendum eam iam mœchatus eſt cum ea in corde ſuo. Hinc recte dixit Auguſtinus in Pſalmos ſcribens, Quid prodeſt integra caro mente corrupta? Melius eſt humile coniugium quam ſuperba uirginitas, Neceſſe eſt ergo alias eſſe uirgines de quibus loquitur Apocalypſis quàm uos ſomniatis.

Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ deo & agno, & in ore eorum non eſt inuentus dolus, Sine macula enim id eſt ſine peccato ſunt ante thronum dei. Hi certiſſime ſunt Chriſtiani, quibus per fidem in Chriſtum non imputatur peccatum utcumq; peccatores ſint, imputatur uero iuſtitia, quæ eſt Chriſtus Ieſus dominus noſter in æternum benedictus Amen. Hi quia agnoſcunt ſe emptos ex terra ſiue ex hominibus ut dei ſint & agni Chriſti, quod corde credunt ad iuſtitiam ore confitentur ad ſalutem, Doctrinas humanas ut Satanæ uenenum in rebus ſalutis fugiunt, ſolum uerbum dei purum ſine dolo & hypocriſi prædicant.

Primitiæ Iudæorũ.

Verum quod primitias appellat deo emptas & agno, quis non uidet primos illos Chriſtianos ſignificari qui ex Iudeis aſſumpti ſunt? qui primi cœperunt cantare canticum nouum quando adhuc nos gentes tacebamus, Nunc uero in ſanguine Chriſti & nos accæſſimus ad

æssimus ad eorum rem publicam, iam non amplius hospites & aduenæ sed ciues sanctorum & domesticæ dei, quemadmodum Paulus scribit Ephesiis, ut & ipsi possimus cantare canticum nouum empti de terra &c. Verum primitiæ sunt Iudei credentes, dicente & Christo, q̃ salus ex Iudæis est, quorum est adoptio filiorum & gloria & testamentum & legislatio & cultus dei & promissio, quorum etiam patres sunt ex quibus est Christus secundum carnem, quemadmodũ scribitur Romanis. Huc pertinet quod & Paulus ad Ephesios scribit, nos gentes ædificatas esse super fundamentum apostolorum & prophetarum, qui procul dubio Iudæi fuerunt, quorum fundamentum est ille lapis Christus Iheſus, super quod & nos cum ipsis fundati sumus. Vides qui primum cecinerint canticum nouum & inter Iudæos & inter gentes, nempe Prophetæ & apostoli dei & quotquot eandem fidem habebant ex Iudæis, Primitias autem uocat ut intelligas nos gentes secutas, atq; adeo, quemadmodum scriptura dicit in locum infidelium Iudæorum subrogatas, ut iam non simus illis posteriores, quando in Christo non est Iudæus neq; græcus. &c. Esto sint illi primitiæ deo oblatæ. nos summus decimæ & illorum plenitudo.

Ne uero putes hoc meum commentum, nolo enim obscuris

obscuris uti, tametsi non uideam qui hæc obscura sint, produco tibi harum primitiarum signo dei uiui in frontibus signatarum interpretem illam ipsum qui scripsit Apocalypsin, sic enim ait capite septimo, Et audiui numerum signatorum. centum quadraginta quatuor milia signati ex omni tribu filiorum Israel, Ex tribu Iuda duodecim milia signati, Ex tribu Ruben duodecim milia signati. &c. duodecies duodecim milia faciunt hunc numerum centum quadraginta quatuor milia. Qui iam potest esse amplius obscurum istas primitias Iudæos esse, qui Christi fidem primi habuerunt? De nobis autem gentibus qui per fidem in Christum, post istos atq; adeo per istos prædicantes oblati sumus deo, in odorem suauitatis, statim in eodem loco subijcitur. Post hæc inquit uidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & populis & linguis, stantes ante thronum & in conspectu agni, amicti stolis albis id est indumento iustitiæ qua per fidem in Christum purificantur & candidi fiunt sancti. & palmæ, id est uictoriæ & triumphi contra peccatum, mortem atq; adeo totum regnum Satanæ, erant in manibus eorum. De qua per sanguinem Christi dealbatione & uictoria, etiam statim infra declarat dicens. Hi sunt qui uenerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas & dealbauerunt

eus in sanguine agni. &c. Et addit. Et clamabant uoce magna dicentes. Salus deo nostro, qui sedet super thronum & agno. Vt uideas nunc & istos qui post uenerunt ex ommbus gentibus cantare canticum nouum. quod illæ primitiæ primum solæ canere potuerunt.

Hic uos appello, qui ista soletis non tam pro uirginibus quám contra institutum á deo cõiugium nobis obtrudere. dicite quæso quas monachas & monachos uirgines facietis ex istis cæntum quadraginta quatuor milibus, quando auditis Iudæos esse? Apud Iudæos opprobrium erat steriltas & pro maledictione dei habebatur. contra secundum legem immo secundum promissionem dei benedictio erat quando fœcunditas multiplicem adferebat filiorum proventum. Vnde ergo habebitis tot uirgines ex singulis tribubus filiorum Israel? sed ne primitias quidem primitiarum id est patriarchas sanctos, prophetas & Apostolos licebit uobis redigere in ordinem uestrarum uirginum,

Quis tandem non uidet quam nihil frontis habeatis immo quam nihil etiam intelligatis? qui nihil aliud somniatis quam hæc & similia. Hic dicitur de uirginibus. Ergo hoc obijcemus contra coniugium, quod ualde

quod ualde commendant & uerbo & opere Lutherani. Magna certe gloria nobis, q. hic nobiscum sunt Lutherani tam multi, et primiuæ de quibus diximus, atq; adeo & ipse deus Lutheranus est, qui uerbo coniugum commendat & opere benedicit. Simili ignorantia factis etiam in sacro illo uestro cantu: sic cogitatis. Eæ hic scribitur. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. uirgines enim sunt. ergo hoc cantabimus de uirginibus. Illic scribitur. Quasi cedrus exaltata sum in libano, ergo illud cantabimus de Assumptione beatæ Marie uirginis. Taceo alia quibus ineptissime abusi estis dum raptatis unde cunq; quod uel in speciem uestris adinuentionibus facere uideatur. Tantum hoc miror, qui fieri potuerit, ut tam ridendas ineptias & nonnunquam etiam blasphemias, pro ueritate susceperimus, sed causa est q. uerbum dei tantum in speciem seruauimus, cæterum re ipsa longe fuit á nobis. Ineptiæ in cantu de sanctis.

Hic rogabit aliquis ex amicis nostris. De quibus ergo uirginibus dicit qui non sint cũ mulieribus inquinati? Respondeo. quando liber ille Apocalypsis est parabolicus & metaphoris sæpe ludit, ad imitationem antiquorum prophetarum & alioqui sacrarum literarum. statim obuium est illis qui sacris literis assueti sunt. uirgines dicit uere & synære in Christum credentes.

dentes, quemadmodum Paulus ad Chorinthios dicit,

Credentes appellantur uirgines in scripturis.

Despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Et tamen multi ex Chorinthijs fuerant scortatores, adulteri, immundi, quemadmodum in priore epistola scribit capite sexto. Sic & ad Ephesios. ecclesiam, dicit sanguine Christi mundatam & gloriosam, certe uirginem, de qua ait q; sit absq; macula & absq; ruga. Virgines itaq; dicuntur ob puritatem fidei. Cum mulieribus uero coinquinantur, qui á puritate fidei recedunt ad traditiones hominum & doctrinas, per quas discant aliam fiduciam habere q̃ in deum uerum. In Esaia mulieres opulentæ dicuntur principes impij & impij doctores, seipsos tantum pascentes, & curantes quæ uentris sunt. In Amos dicuntur uaccæ pingues in monte Samariæ. Vnde & in psalmo. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. In Christo uirgines sumus, per traditiones autem humanas corrumpimur. id quod propter pseudapostolos, fiduciam operum legis docentes, timuit suis Corinthiis dum sic addit, Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur mentes uestræ, & excidant á simplicitate (uirginibus cognata) quæ est in Christo.

Scortatio spiritualis:

Satis superq; loco Apocalypseos seruiui, forte tamen non sine utilitate quorundam, ut indicarem q̃ stupidi sint qui se nostros doctores contra coniugum nostrum facere uolunt. Videant hoc quoq; quidam noui predicatores, qui se spiritum gloriantur singularem habere, dum ex Apolypsi aliquid producunt in publicum, relinquentes quæ necessaria sunt, doctrinæ Christianæ & sacri Euangelij, quæ forte ignorant, uideant inquam, q, & nos possimus eadem, sed non ita magni facimus, nonpropterea nobis spiritum arrogamus.

Ad hæc obijciunt nobis, quæ haudquaquam contemnere aut debemus aut possumus, nempe de eunuchis in Euangelio & de eunuchis in Esaia. Sic enim ait Christus in Mattheo. Sunt aliqui eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. In Esaia uero dominus sic ait eunuchis. Qui custodierint sabbata mea et elegerint quæ ego uolui et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in munitionibus meis locum & nomen melius q̃ filiis & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis q, non excindetur. Ergo aiunt non dabimus ut solum propter præsentem necessitatem, quemadmodum Paulus ait, bonum sit manere uirginem uel cælibem, sed etiam certum est bonum esse propter singulare meritum in cœlis. Nam Christus dicit, Castrauerunnt se propter regnum cœlorum. Et in Esaia, eunuchi meliorem

De eunuchis.

liorem locum siue manum & nomen melius accipi-
ent á deo q̃ filij & filiæ. Ecce aiunt non præfert
eos gentibus & peccatoribus sed illis qui filij & filiæ
sunt.

In iusticiarios.

Vides q̃ callide ex scripturis quærant suæ uirgi-
nitatis & cælibatus merita, ut possint cæteris esse
meliores & dicere cum phariseo. Non sum sicut cæ-
teri hominum, sicut etiam isti Lutherani qui ducunt
uxores, & cum aliis. Nos portauimus pondus diei
& æstum, deberemus illis coequari? Non libenter
audiunt. Volo huic nouissimo dare sicut & tibi quin
tolle hoc ipsum meritum tuum & abi, tu meritum
somnias, nouissimus ille gratiam agnoscet. Non ui-
dent cœci suis meritis sese abnegare meritum Christi
atq; adeo totum Christum, atq; ideo dum cæteris ma-
gis Christiani esse uolunt, á Christo longius recesse-
runt.

De Eunuchis in Euangelio.

Respondemus itaq; eis primum de eunuchis in
Euangelio, Sane non negari debet Christum illic lo-
qui de continentia illa corporis, sed si concupiscis cor
de uetitam uenerem, idem plane negat te castratum.
Nam alibi ait. Qui uiderit mulierem ad concupi-
scendum eam iam mœchatus est cum ea in corde
suo. Itaq; noli mentiri de Christo quasi hypocriti-
cam quampiam tibi continentiam in eunuchis com-
mendarit.

mendarit. Si ureris, si periculum tibi est fornicationis
ne præsumas te castrare, ne præsumas uolare sine
pennis, grauius enim cades & nemo te leuabit, Chri
stus se satis expressit de quibus dicat. Nam sic præ-
misit. Non omnes capiunt uerbum istud sed quibus da
tũ est. Et ubi dixerat. Sunt aliqui enuchi qui seipsos
(id est non solum corporis membra quibus contine-
ant, sed & mentem, hoc est se totos) castrauerunt
propter regnum cœlorum, statim addit. Qui po-
test capere capiat, quasi dicat cum Paulo, qui non
potest capere nubat in domino. Vt uideas hoc esse
per Christum liberum quod nostri iusticiarij suis uo
tis & iuramentis faciunt contra Christum necessari-
um, quasi tuis iuramentis & uotis efficere possis ut
non sis aut masculus aut fœmina, aut cogere deum
ut det quod non donauit aut donare non uult.

Qui se castrauerint.

Hic repetenda sunt quæ ante ex Paulo indicauimus
quia plane eadem dicit Christus, nempe ijs liberum
esse ut uel cœlibes maneant uel coniuges fiant quibus
ista libertas á deo data est, non aliis, hortatur enim
ut capiat, sed is qui capere potest. Non potest autem
capere qui hoc á deo non accepit. Hæc est itaq; sen-
tentia Christi. Sunt aliqui, quibus cum liberum sit
uel fieri coniuges uel manere cælibes, hoc tamen eli-
gunt potius q̃ illud, id est castratos seipsos faciunt,
hoc est non uolunt se alligare uxoribus, dum alicqui
nullæ

nulla necessitate aguntur ut se se alligent. Et hoc faciunt propter regnum cœlorum id est ut liberius uacent Euangelio & prædicando & meditando, ut solum soliati sint de ijs quæ domini Christi sunt, quomodo placeant deo, ut sint sancti corpore & spiritu, dum sunt absq; solitudine & sine præsenti necessitate. &c.

Nemo se castrat recte qui non datum est.

Atq; hic facile etiam respondemus nostris amicis, qui hoc loco nodum in scirpo uerentur, dum aiunt sibi uideri hoc dictum á Christo, quasi in arbitrio sit potestate manere Christiane cælibem. Nam Christus dixit castrauerunt seipsos, non dixit Castrati sunt Ex prædictis notum est Christum hoc dicere non de omnibus, sed de ijs quibus hoc datum est. Porro quibus datum est, libere datum est, ut isto dono uel utantur uel non utantur, uelut alia quapiam carnis siue externa libertate per deum nobis donata, qua cum recta fide siue bona conscientia uti licet & simul cum carnis commoditate. Iccirco Paulus uirginem abijt licere in coniugium ista libertate docet, propter solam uilem honestatem & consuetudinem in aliquibus locis seruatam, hoc est quia non est consuetum aliubi ut seruentur uirgines adultæ sed ut tradantur coniugio. Si quis inquit turpem se uideri existimat id est se rideri propter uirginem suam, q̃ ei præterit nubendi tempus, & ita oportet fieri, quod uult fiat, non peccant si tales iungantur coniugio. Liberum ergo donum est non necessarium, tale enim est sine quo etiam possis saluus fieri, etiamsi non utaris dato. Nam non præcepit tibi deus ut utaris. de uirginibus inquit Paulus præceptum domini non habeo. Si acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit uirgo non peccauit. Quia uero liberum donum est, quidam ex eis qui hoc á deo acceperunt potestatem habent se castrandi propter regnum cœlorum, alij autem qui non acceperunt, sibi hanc potestatem non arrogent, fient enim quiduis aliud potius q̃ perpetuo continentes, neq; iuramentum aut uotum faciet eos esse aliud q̃ sunt? Non enim potest homo á se facere quicquam nisi fuerit ei datum è cœlis. Itaq; dei dono quidam istam libertatem habent, nemo autem suis uiribus.

Propter regnum cœlorum.

Quod si quis cœperit interpretari hoc quod Christus dixit. Propter regnum cœlorum, id est ut salui fiant. Viderit ne seipsum á regno cœlorum excludat, excludet certe contra Christi sententiam omnes sanctos coniuges, & inducet in omnia incommoda & absurda quæ ante indicauimus. Atq; hic libere dico omnia quæ dixi superius de eo quod Paulus ait, Bonum est homini mulierem non tangere, Ex scriptura pro-

ptura pronuncio (non enim aliud hic mihi licet) Si=
cut quidam se castrauerunt propter regnum cœlorum
quibus hoc datum est, ita quidam ducunt uxores
propter regnum cœlorum quibus illud donum non
est datum. Tu ne putas propter regnum cœlorum
id est propter Euangelium fieri q; quidam accipi=
unt uxores ad uitandam fornicationem, quemadmo=
dum iubet Paulus immo & deus ipse? Nulli magis
impediuntur á regno cœlorum, q̃ qui uruntur &
in periculo aguunt scortationis, qui solent, ut Pe=
trus ait, oculos habere plenos adultera, his melius
est nubere q̃ uri. Quid quæso impediebat á regno
cœlorum siue Euangelio credendo & prædicando sa
cros Episcopos, quos Paulus uult unius uxoris mari=
tos et filios eorũ optimis moribus probatos? Atq; hic
multi qui fiunt coniuges relinquunt beneficia eccle=
astica, nundinationem missarum & dignitates, me=
renturq; odia etiam suorum amicorum, tantum ob
hoc ut relinquant quæ deo sciunt displicere, & am=
plectantur quæ ei placere non dubitant. Nihil hic ue
rentur præsentem necessitatem & tribulationem car=
nis, de quibus scribit Paulus, ut á necessitate &
tribulatione conscientiarum per dei coniugum libe=
rentur.

Ita fit ut nos propter regnum cœlorum, dum non licet

dum non licet bona conscientia aliter uiuere, ducimus
cum tantis carnis incommodis uxores, dum interim
uos Papistæ propter tantillum carnis commodum id
est propter lucra & honores uestros, impie & con=
tra conscientiam persequimini regnum cœlorũ, quod
hodie hæreticum uobis factum est, quia damnat om=
nia quæ uos contempto deo amatis. Sed licet cone=
mini, non tamen uos ex terra geniti gigantes Chri=
stum dominum nostrum, qui omnia in omnibus ubiq;
adimplet, cœlo deturbabitis unquam. Noster est
ille deus cuius scriptura & uerbum á nobis stat,
uos autem confundit ut amplius mala conscientia non
agere non possitis. Illi in curribus & alij in equis,
nos autem in nomine dei nostri sperabimus. Nolite
confidere in principibus, in filio hominis in quo non
est salus. Exibit spiritus eius & reuertetur iste filius
hominis in terram suam & uos cum eo, ubi autem
ista facta fuerint peribunt omnes cogitationes & con=
silia uestra. Non enim est prudentia, non est con=
silium aduersus dominum.

Atq; hæc hactenus de eunuchis, de quibus in
Euangelio. Restat ut de eunuchis, de quibus do=
minus in Esaia, dicamus, ut uideant aduersarij nostri
quám cæcos testes nobis producant pro suo in Euan
gelium Christi odio contra coniugũ á deo institutum,

Cæcos autem

Cœcos autem testes uoco, non qui nihil uideant, (quis enim sic ex nostris auderet blasphemare in dominum & Esaiam prophetam?) sed qui non uiderunt rem de qua inbentur testificari, Nunquam Esaias aut dominus deus approbauit illud quod ipsi ex eorum uerbis approbatum uolunt, nempe illum coactum atq; adeo impium cælibatum. Nobis certum est, & id ex Esaiæ uerbis probabimus, q; eunuchi illic cælibes non significent. Verum ne nos elabi putetis confictis interpretationibus, quasi saliet ijs, ut uos indigeamus, fingite cælibes illic significatos, Atq; hic quidem inuenietis, secundum uestras cogitationes, merita & prærogatiuas illas specialium coronarum, quando dicit. Dabo eis in domo mea & in munitionibus meis locum & nomen melius præ filiis & filiabus, Sed quando additur, Nomen sempiternum dabo eis quod non excidetur, Facietis rursum solos uestros eunuchos, Christianos, alios á Christianismo excludetis quos filios & filias intelligitis Quotquot enim Christiani sunt nomen sempiternum habent coram deo, & secundum uestram sententiam & interpretationem, hoc nomen non habent filij & filiæ, quos tamen Christianos intelligitis, sed habent eunuchi. Ergo hos solos Christianos facitis quibus eternũ nomen tribuitis, illos autem licet Christianos appelletis re tamen ipsa negatis quando hoc nomen

De eunuchis in Esaia.

eternum

eternum non habent. Sed desinamus cum ineptis ineptire, ueram & certam horum uerborum sententiam ex ipso propheta aperiemus.

De tribus dicit Esaias. primi sunt filij & filiæ, secundi filij aduenæ qui adherent domino, tertij sunt eunuchi. Primi ex sanctis patribus sunt & de carne Abrahe gloriari possunt, qui sunt Iudæi secundum carnem & gloriantur se dei esse filios & filias. Secundi non possunt gloriari de patribus, sed gratias agunt q; in consortium populi dei id est Israelitarum sunt admissi, quis istos non uidet esse proselytos? qui ut maxime sint filij aduenæ id est gentilis, tamen adhærent domino susæpta circumasione & lege, Hi aduenæ sæpe nominantur in Deuteronomio, ut uel uidere licet capite decimosexto. Tertij quos eunuchos uocat sunt mere gentiles, qui neq; de patribus sanctis neq; de filijs gloriari possunt, ut enim nõ in populo dei nati sunt quemadmodũ Iudæi, ita neq; postea populo dei id est Israeli secundum carnem accesserunt quemadmodum proselyti, ut uel postea filios eis liceret gignere ad augendum populum dei qui in populo dei geniti non erant. Erant hi omnino steriles & lignum aridum, abalienati (ut Paulus ait) á re publica Israelis & á testamentis dei, & sine deo in hoc mundo.

1
2 3.
1
2
3

Proselitis aliqua spes erat se pertinere ad popu-
lum dei atq; adeo ad regnum Messiæ, de quo inter
Iudæos multa præclara audiebant ex prophetis.
Nam solis Ammonitis & Moabitis, secundum le-
gem Deuteromomij, prohibitis, reliquæ omnes gen-
tes admittebantur in ecclesiam dei uel post tertiam ge-
nerationem. Ab hypocritis tamen Iudæis cogebantur
sæpe audire, nequaquam esse ipsis conferendos, id
quod & postea fecerunt pseudapostoli ex Iudeæs na-
ti, qui nos uolebant proselytorum loco habere & se
se nobis præferre. Contra quos tam sæpe scribit Pau-
lus, In Christo non est Iudæus neq; Græcus, Genti-
libus autem, quos Esaias eunuchos uocat, nulla erat
spes, in desperatione agebant sine dei uerbo. Si
quando multa bona & gloriosa dei in hæbræos ex
hibita beneficia audiebant, commendare potuerunt
similia sperare non potuerunt, quemadmodum in
Actis apostolicis legimus, gentes gauisas ubi ex Pau-
lo & Barnaba didicerant secundum scripturam eti-
am gentibus missum Euangelium, quam salutem ne
somniare quidem poterant, quemadmodum in Esa-
ia dominus ait, Inuentus sum ab ijs qui non quæsie
rant me. &c. Hos eunuchos lex significauit, dum
etiam Iudæos, secundum carnem eunuchos, prohi-
buit intrare in ecclesiam dei.

Lex discreuit inter Iudæos & proselytos, dum
hos in

hos in ecclesiam dei admittit non autem ante tertiam
generationem, discreuit & eunuchos ut cunq; Iudæ
os ne unquam intrarent in ecclesiam dei. Sed Isaias
prædixit Euangelium sanctum omnia æquaturum, ut
non dicat se separatum á populo dei aut differre pro
selytus, nec timeat se non assumi eunuchus, Eunu-
chus autem hic est, non quem homines uocare pos-
sunt eunuchum, de quo lex mandat, sed quem de-
us ipse hactenus habuit pro eunucho, id est inutili
& non generante deo filios in spiritu. De quibus ste
rilibus & eunuchis id est gentilibus susapiendis, ma
gna consolatione præmiserat Esaias interprete etiam
Paulo. Lauda sterilis quæ non paris, decanta lau-
dem & hymni quæ non paricbas, quoniam plures
filij sunt, desertæ quám illius quæ habebat uirum, di
cit dominus, & alibi idem. Lætabitur deserta & inuia
& exultabit solitudo. &c. Nonne uides ipsum Esai-
am suos eunuchos interpretari, ut taceam q, etiam
in ipso loco dicit dominus, adducam eos in montem
sanctum meum & lætificabo eos in domo orationis
meæ. Holocausta & uictimæ eorum placebunt mihi
super altari meo, quia domus mea domus orationis
uocabitur cunctis populis quasi diceret non solum Iu-
dæis, non enim cogetur amplius expectare prosely-
tus in tertiam generationem filiorum, aut excludetur
eunuchus id est gentilis, sed sine respectu perso-na-

rum, modo credant, recipientur. Id quod Ioel dixit, Omnis qui inuocauerit nomen domini saluus erit.

Neq; uero susipiũtur eunuchi ideo q, eunuchi sunt, sicut non intromittuntur ad sponsum uirgines ideo q, uirgines sunt. Nam sicut fatuæ uirgines excludũtur ita & infideles eunuchi. De gratia hic agitur non de merito, ita ut etiam non obsit coram deo gentili q, eunuchi nomẽ habuerit, quãdo cõuertitur ad Christũ, neq; prosit corã deo Israelitis secundum carnem q, nomen filiorum habuerint, quando excæcantur & offendunt in lapidem offensionis & petram scandali Christum. Atq; hoc claris uerbis dicit illic Esaias. Hæc inquit dicit dominus eunuchis id est istas promissiones prædicat eis. Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego uolui et tenuerint fœdus meum, dabo eis etc. Hæc non fit carnis castratio, sed sola fides. Hæc enim sabbata dei custodit id est resignat se tota deo ut fiat nõ nrã sed eius uolũtas, et tenet fœdus dei id est promissionibus eius et pacto fortiter innititur, ideo lætificatur in monte et in domo dei id est pacificata cõscientia et gaudio spiritus, agit in ecclesia Christi, quæ cõmunis est omnibus populis, non prohibita ijs qui non sunt Iudæi ut templum Hierosolymorum. Hinc holocausta & uictimæ id est omnes orationes talis fidei & operæ & passiones placent deo super altari Christo, qui proprie dei altare est, sine quo nullum acceptum est,

ptum est sacrificium. Vt uideas hic fidem commendari & meram dei gratiam non aliquam carnis prærogatiuam. Isti ergo Christiani sunt qui ante eunuchi fuerunt id est gentiles. Neq; commendatur hic q, eunuchi sunt aut manẽt, sicut nec cõmendatur q, proselyti aliqui sunt aut manent, sed q, non manent eunuchi quos lex damnat aut proselyti quos lex discernit, sunt uero plene et sine differentia populus dei inducti in ecclesiam, atq; adeo gloriam tenent quam filij et filiæ id est Iudæi contempserunt. Huc credo allusum in hebræo, quando legitur. Nomen sempiternũ dabo eis quod non excindetur, q. dicat. Excinduntur eunuchi dabo autem istis nomen æternum quo nunq̃ post hac sint eunuchi coram me.

Nomina Christianorum licet ex gentibus ortorũ scripta sunt, quemadmodum Christus ait, in libro uitæ, agnoscuntur enim á deo. Contra de filijs & filiabus contemnentibus in psalmo dicitur. Deleantur de libro uiuentium & cum iustis non scribantur, de quibus in Esaia. Filios enutrui & exaltaui, ipsi autem sprcuerunt me. Hinc & Christus ait. Multi uenient ab oriente & occidente & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Nihil igitur est ut hic somnies merita eunuchorum præ Christianis, quando dicitur. Nomen melius accipient

Nam ſententia eſt, Iſtorum qui ante eunuchi fuerunt nomen non excindetur, filiorum autem & filiarum nomen excindetur ut fiant eunuchi & damnati gentiles coram deo qui Iudæi filiorum nomine gloriabantur. Hinc horum nomen maledictum erit coram deo, illorum benedictum. Vt uideas quod nam ſit nomen melius, nempe æternum, quod non excindetur. Omne nomen & omnis gloria Iudaica hic tranſit ad gentes credentes, quemadmodum Chriſtus ait. Auferetur á uobis regnum dei & dabitur genti facienti fructus eius. Iſtam eſſe differentiam nominum indicat tota ſcriptura & expreſſe exponit Eſaias capite ſexageſimoquinto dicens, Ecce ſerui mei comedent & uos eſurietis. &c Et dimittetis nomen ueſtrum in iuramentum electis meis, & interficiet te dominus deus, & ſeruis meis uocabitur nomen aliud.

Hoc itaq; uult Eſaias uerbis domini in eo loco de eunuchis. Vos Iudæi curate per deum quæ recta ſunt, cuſtodite iudicium id eſt damnate quæ damnanda ſunt, & facite iuſtitiam id eſt probate & ſequimini quæ probanda & ſequenda ſunt, quia fiet breui ut ſalus mea & iuſtitia mea, quæ eſt Chriſtus mundo reueletur. Tunc euulgato Euangelio non poterit latere ueſtra infidelitas & hypocriſis. Nihil moror inſignia filiorum nomina. Suſapiam in locum ueſtrum, ſi infideles fueritis, proſelytos quos contemnitis et eunuchos id eſt gentiles quos impios non iudicare non poteſtis. Atq; ita poſtea factum eſt, ut meretrices & publicani præcederent iuſticiarios filios & filias in regnum cœlorum, quemadmodum & hodie fit illis excœcatis, qui ex iſtis & ſimilibus ſcripturæ locis merita ſibi ſomniant, in quibus tamen iudicia dei in ipſos ſcripta ſunt, nam & ipſi iuſticiarij ſunt, & reuelato Euangelio declarantur filij non eſſe utcunq; hactenus gloriati ſint. Vbi quæſo nunc eſt ueſter in Eſaia cælibatus? Agite deinceps contra nos integris ſcripturis ſi poteſtis, & non ſic diſcerpite miſere ut ignoretis quid dicatis aut de quibus affirmetis.

Hic ubi omnes deficiunt copiæ, quando non poſſunt conſiſtere præ gloria uerbi dei quod ſtat á nobis conuertuntur ad humanas traditiones, ſalixet ut humana figmenta timeamus qui diuinis armis protegimur. Obijciunt nobis in primis ſacrum ordinem, propter quem non licæat fieri coniugem. Hæreticum hic uobis eſt & inexpiabile ſcelus ſi quis in ordine illo ueſtro ducat uxorem, Veniale autem ſi iſte tam ſanctus ordo, ut alia taceam, ſcorta admittat, Re ipſa hoc declaratis, negare mundus non permittit.

Nonne in sancto ordine fuerunt sacri episcopi quos Paulus instituit, quos uult unius uxoris maritos & filios habere modestos? Sed illi erant episcopi quales etiam nunc docemus esse oportere, non quales uos hactenus adorastis, qui principes mundi agunt non prædicatores euangelij.

Locus Pauli ad Thessa. de inordinatis.

Vtcunq; uero uos ordinatos iudicetis et nos peccare in ordinem, tamen Paulus ex spiritu sancto uos pronũciat inordinatos et excõiatos. Ita scilicet Satan potuit ludere sensibus humanis, ut per uos persuaderet esse sacros ordines illa quæ sunt contra dei ordinationẽ, et ut suis immunditiis nomẽ sanctitatis tribueret, ueræ sanctitati gloriam nominis auferret, sed ita necesse est ut Christiani ignominiam ferant. Sententia Pauli, ubi ad Thessa. scribit, sic habet.

Præcipimus uobis fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre, qui inordinate se gerit, & non iuxta institutionem quam accepit à nobis. Nam ipsi satis quomodo oporteat imitari nos, quoniam non inordinate gessimus nos inter uos, neq; gratis accepimus panem à quoquam, sed cum labore & sudore nocte dieq; facientes opus, ad hoc, ne cui uestrum essemus oneri. Non q̃ id nobis non liceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis ad imitandum nos. Etenim cum essemus apud uos hoc præcipiebamus uobis ut si quis nolet operari, is nec ederet. Audiuimus enim quosdam uersantes inter uos inordinate, nihil operis facientes, sed curiose agentes. His autem qui sunt huiusmodi, præcipimus & obsecramus per dominum nostrum Iesum Christum, ut cum quiete operantes suum ipsorum panem edant. Vos autem fratres ne defatigemini in benefaciendo. Quod si quis non obedit sermoni nostro, hunc per epistolam indicate, & ne commertium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur, neq; nelut inimicum habeatis sed admonete ut fratrem.

Curiosa.

Agnoscitis opinor uerba Pauli, quæ quia non libenter legitis libens omnia bona fide recitaui. Cœperunt & tunc appetere, qui sub specie religionis curiose agentes, ex aliorum sudore uiuere cupiebant contra ordinationem Pauli, atq; adeo contra ordinationem dei dicentis. In sudore uultus tui uescaris pane tuo. Ex quibus uos hodie obtinuistis regnum, homines odosi, qui nihil operamini nisi curiosa id est superuacua, portatis cappas, raditis caput, editis pisces, quandoq; nihil editis nisi pro solatio, clauditis uos in cellis, legitis secundum præscriptum ordinarij uestri horas canonicas, obseruatis festa,

 canitis.

Odosis ne mo debet uictū, Christiana uero charitas debet iis qui hactenus crauerunt et non possunt iā cōmode aliter uiuere.

nitis uigilias mortuorum, singulis missam esse sacrificium mactantes rursum Christum, ordine uestro superbitis & bestiæ Charactere quasi indelibili. Et pro his quæ nemini prosunt (utinam non obfuissent tot perditis per uos animabus) uobis omnia deberi iudicatis secuti uiam Balaam, qui dilexit mercedem iniquitatis, quando solis pauperibus & laborantibus in uerbo debetur secundum scripturas uictus ex alieno labore. Immo mentimini contra Christi gratiam talia esse uiam salutis, satisfactionem pro peccatis, redemptionem animarum ex purgatorio atq; adeo pro quibus uobis specialis merces & corona debeatur in cœlis.

Sed Paulus redegit uos in ordinem ut laboretis uel manibus uel in uerbo dei, relinquentes aerioſa et inutilia illa. Alioqui excomunicat uos sententia lata per spiritum sanctum, & iubet ut moneamus ut fratres quo resipiscatis. Quod si non audieritis nos uerbo dei monentes, eritis tandem nobis ut ethnici et publicani secundum sententiam Christi. Quod si etiam persequi uolueritis euangelium gloriæ dei aut persecutoribus fauere, iam non agitis contra nos sed contra regem exercituum, quis stabit contra eum? Itaq; inordinatos pronūciat uestros ordines, quos tam sanctos putatis ut in eis non liceat coniuges fieri, qui tamen fiunt

men fiunt secundum uerbum dei quo uestri ordines non confirmantur. Sanctum uero iudicat ex ista inordinatione redire ad dei ordinationem, ut laborent manibus & suum non aliorum panem manducent. Hinc uidere licet sarctores, sutores, agricolas potius esse in ordine sancto quam uos. Nam illorum ordo confirmatur uerbo dei. In sudore uultus tui uescaris pane tuo, ut taceam multa quæ de laborando in scripturis præcipiuntur uel in Proverbijs Salomonis. Sentiunt hoc hodie quidam ex uestris qui propter conscientiam uolunt potius mercenarij fieri quam sancti manere patres.

Qui sint sancti ordines.

Hic uero doctissime doctor redeo ad gratulationem. Gratulor enim plane tibi q; in sanctum ordinem tandem concesseris, nempe in coniugum a deo creatum, ordinatum, institutum, benedictum. Masculum enim & fœminam creauit eos, & dixit propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ. Benedixitq; eis dicens, Crescite & multiplicamini, & prohibuit ne quid peccatur contra hanc ordinationem siue contra hunc ordinem dicens. Non mœchaberis, non concupisces uxorem alterius aut illam quæ tua non est. Et præterea assit partem principatus sui marito, dum subiecit illi fœminam dicens, Sub uiri potestate eris. Item parentibus, dum

bus, dum filios eis subiecat dicens, Honora patrem et matrem. Talia uerba dei regnant in nostro ordine quem non sanctus Anthonius aut alius quispam ex sanctis, sed ipse sanctus sanctorum deus instituit & consecrauit, cui necesse est ut cedant omnes omnium hominum & angelorum ordinationes. Neq; hic habent aduersarij quo istud nostrum de te gaudium interturbent, quando & ipsi docent ex inferiori ordine licere egredi in sanctiorem & meliorem, uel ut ipsi dicunt ex laxiore in strictiorem. Ergo quo iure permittunt clericis ut fiant monachi, monachis ut fiant Charthusiani, eodem permittent clericos & monachos fieri coniuges, immo hoc permittent iure diuino, quando illud tantum permittunt ex traditionibus & figmentis humanis. Impius est qui ordinem sancti Anthonij aut Franasa præfert ordini dei. Non obiiciant ergo nobis sacros illos ordines, nisi uelint de inordinatis suis ordinibus male ex uerbo dei audire.

Dei ordinatio et ordo sacer & coniugum

At grauiter insistunt obiicientes illa uota monastica, non contenti ijs quæ diximus, nempe q; dei uerbum & ordinationem non possunt nostra uota & iuramenta immutare, sed si quid contra uouimus aut iurauimus oportere abijcere nisi uelimus ipsi á deo abiici, quod & ipsi in suis iuribus faciunt dum legunt. In malis promissis resande fidem. In turpi uoto muta decretum, Quod incaute uouisti ne facias, Impia est promissio quæ scelere adimpletur. Non contenti insuper q; & tibi nuper scripsit D. Martinus Lutherus, uotum, ut sit deo acceptum, oportere esse cum in nostra facultate ut impleamus, tum non impiũ id est contra deum. Non contenti quoq;, q; nos dolemus de temerario iuramento, & admissi per uotum peccati deprecamur coram deo reatum, ut remittat nobis istam iuramenti ignorantiam & temeritatem qui remittit omnia peccata per Ihesum Christum dominum nostrum, ne baptismi uotum pereat per impium uotum, dum scortationis periculum aut alia immundicia imminet, ut ante dictum. Quid ergo hic facto opus est? Nihil mihi cum eorum impietate qui doceri nolunt, sed solum parati sunt blasphemare dei ueritatem. Si tibi molesti sunt obiicæ illis librum illum de uotis hactenus & perpetuo inuectum, quem ut hæreticum iudicent tamen uerbo dei cõdẽnare non possunt, sed efficiat omnia ad quæ misit illum deus ex manu Lutheri. Me autem finito ut post tanta seria, quando fractis animis iacent, cum eis ludam.

Votũ quod est contra deum.

Tria uestra uota sunt, quæ uocatis substantialia ordinis. Obedientia, paupertas, castitas. Si malo ordine

ordine recenseo, ignoscite, quia non fui monachus ut liceat omnia sacra uestra nosse. Nihil hic amicus noster contra illa tria peccauit, adhuc omnia sunt integra. Vbi hæc audiunt forte recepto animo dicunt. Ecce illi hæretici aut insaniunt, dicentes contra ea quæ coram uidemus, aut certe reuocare siue recantare uolunt. Sed ego pergo. Amicus ab obedientia solutus est per fratres suos secundum uestra iura, quando factus est in ordine illo Præceptor, cui enim fratrum obediret, qui factus est aliorum præceptor; Verum hic postularem á uobis ut sineretis alios solui propter uerbum dei quando tam facile absoluitis ab obedientia, quám iactatis esse perpetuam, propter monasterii commoditatem. Paupertatem uero ampliorem & si uultis strictiorem, seruat quám iurauerat. Nam reliquiæ siue ossa sancti Antonii cessauerunt adferre pecuniam illam tam copiosam ex omnibus ferè finitimis regionibus. Et quis nostrum, si cum boconscientia liceret, non mallet diuitem illam & omnibus rebus copiose abundantem paupertatem monachalem, etiam Franciscanorum, quám regum quorumcunq; quascunq; diuitias?

Tria illa uota præceptori integra.

Porro castitas, quam solam nunc accusatis perditam, nunc primum adest accepta uxore. Rident, & hic inuenient, nisi taceam, unde accersito notario faciant

faciant hæreticum articulum, piarum aurium offensiuum. Quia tamen ueritas est dicam. Quotquot iurauerunt perpetuam castitatem, & non habent donum perpetuo continendi á deo acceptum, periuri fiunt nisi accipiant uxores. Vxoribus autem acceptis perpetuam seruabunt castitatem, donec adulterium non commiserint. Quid igitur post hac in amico accusabitis? Audito hoc uerbo, non rati ut amplius ex nobis audiant quæ audire nolũt, abeunt uel nos accusaturi uel aliquid contra nos scripturi, quo hoc lucri faciemus ut interim suis ineptiis non sint nobis molesti. Amici autem, si qui adhuc adsunt, sciant me ex scripturis sacris proposuisse sententiam, nec putent me ineptire cum quibusdam qui ex nostris uidentur, qui dum pro coniugio scribunt, cum sacris literis meras nugas & ineptias permiscent, satis monachaliter suis legibus nobis præscribentes quid in coniugio mariti faciamus, atq; adeo ea quæ potius ipsis permittimus seruanda.

Castitas et continentia in coniugio.

Castitas non solum est in uirginitate, aut in iis qui in cælibatu mũde uiuũt, sed etiã in coniugio quod sine adulterio mundum seruatur. Ita & castos maritos dicimus & castas uxores. Coniuges itaq; perpetuam castitatem seruare possunt, dum cælibes interim etiam hi qui iurauerunt et uouerunt inceste uiuunt.

Simile

Simile intelligimus de continentia (ne quis per uocabula nos elabi putet) Continentia illa qua uitatur carnisimpuritas, non solum est ut abstineas perpetuo ab omni muliere, si hoc tibi datum est á deo, alioqui infœliciter tentabis. sed etiam ut tu coniunx abstineas á muliere quæ non est tua, coniungaris autem soli tuæ uxori, atq; ita etiam perpetuam seruabis continentiam, licet gignas filios, dum continues ab omni muliere quæ tua non est.

Castitas et continentia perpetua.

Sic Paulus uult episcopum esse σώφρονα καὶ ἐγκρατῆ id est continentem et castum, et tamen unius uxoris maritum & filios habentem modestos. Similiter & iuniores fœminas id est uxores uult esse ἁγνάς id est castas & puras siue castimoniam seruantes, & tamen iubet ut discant á uetulis mulieribus diligere maritos, diligere filios. Si castæ sunt & continentes quæ amplexibus non utuntur maritorum, non tuto præcipitur iuuenalis uxoribus ut diligant maritos ne forte perdant castitatem & continentiam. Si non utuntur, unde quæso habent filios? Præterea ad Galatas, ἐγκράτεια id est continentia, dicitur fructus spiritus, ut non arrogetis uobis solis quod spiritus in omnibus operatur Christianis. Simite ergo & maritos & uxores seruare perpetuam castitatem siue perpetuam continentiam modo adulterium non committant.

Hanc castitatem

Hanc castitatem & continentiam præcipit deus dicens. Non mœchaberis, id est Christo interprete, non concupisces in corde tuo mulierem alienam, non debes ne uelle quidem ut aliqua impuritate carnem tuam polluas. Hinc & Paulus ait, Hæc est uoluntas dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos á fornicatione, ut sciat unusquisq; uestrum uas suum possidere in sanctificatione & honore, non in affectu concupiscentiæ, sicut & gentes quæ ignorant deum. Et epistola ad hebræos. In omnibus inquit sit honorabile connubium & thorus immaculatus. Fornicatores autem & adulteros iudicabit deus. Hæc continentia laudata est ab omnibus sanctis utriusq; testamenti, nec deus aliam exegit ab hominibus unquam, sæpe autem dedit aliam & maiorem sed certe paucis ut in cælibatu casti & continentes esse potuerint. Ex his uidere licet, quàm recte dixerit sanctus Paphnutius in concilio Nicæno, quod semper sanctum habitum est, ubi tamen Satan uoluit constitutionem facere ne clerici uterentur uxoribus, nisi hic unus restitisset nunquam expertus nuptias, quam recte inquam dixerit. Honorabiles nuptias, & castitatem esse concubitum cum propria coniuge.

Hæc omnia dico ut uerum uideatis quod dixi. Si quis iurauit perpetuam castitatem & continentiam,

iuramentum & uotum temerarium.

& non habet singulare donum á deo ut præstet iuramentum extra coniugum, præstet uel in coniugio, alioqui perpetuo manebit periurus, quemadmodum si quis iuret se daturũ mille aureos quando ne unum quidem habet aut habere potest, aut si quis iuret se non commesturũ, quemadmodũ illi in Actis Apostolorum, qui non se commesturos iurauerant nisi occiderent Paulum. Esto non sic intellexeris quando iurasti, tamen postea ipsa ueritate, aut certe etiam tuo malo & periculo doctus, disce potius ueritati et præcepto dei cedere, quám in tua temeritate propter hominum traditiones permanere. Non peccauit Dauid contemnendo iuramentum quod contra Nabal iurauerat. Peccauit autem Herodes qui propter iuramentum Ioannem uirum iustum occidit ne periurus fieret. Et Saul propter temerarium iuramentum, quod magis sanctum uidebatur quám hæc nostra, occidisset filium sanctum & multo se meliorem, nisi per populum hoc iuramentum irritum factum fuisset, Non stat tim bonum est quod tibi bonum uidetur, nam lex prohibet ne facias quod tibi rectum sine uerbo dei uidetur, ueq; bonum fiet quod malum est etiam si sexcenties uel iuraueris uel noueris.

Quando igitur doctissime Præceptor hæc coniugij tui causa tam sancta est ut deo placeat, id quod intelligis ex eius uerbo, tam iusta ut merito ab hominibus damnari non debeat licet impij damnent, tam tibi comoda ut aliter non liceret bona conscientia uiuere, gaude & agnosce quid hic ex manu dei sine tuo merito acceperis,

PROPHETIA PAVLI.

Vt uero constitutiones humanæ de cælibatu, quas hactenus ut diuinas adorauimus, certo agnoscantur á Satana fuisse, subijcio etiam Pauli prophetiam de temporibus, quæ ipse uidebat post se uentura. Nam non erit hæc prophetia á gratulatione nostra aliena. Sic enim scribit Thimotheo.

Spiritus certo dicit q, in nouissimis temporibus discedẽt quidam á fide, attendẽtes spiritibus impostoribus et doctrinis demoniorum, in hypocrisi loquentium mendatium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentiũ nubere, abstinere á cibis quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & ijs qui cognouerunt ueritatem. Quia omnis creatura dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per uerbum dei & orationem. Hæc proponens fratribus bonus eris minister Iheſu Christi, enutritus uerbis fidei

bis fidei & bonæ doctrinæ quam assidue sectatus es. Hæc Paulus.

Facile præuidit spiritus errores iustiariorum.

Spiritus inquit ærto dicit. Facile potuerunt isti Apostoli sancti, quibus sacrum erat reuelatum euangelium, præuidere, quando & ipsis prædicantibus iam Antichristi erant multi ut scribit Ioannes; & iam mysterium operabatur iniquitatis ut Paulus Thessa. scribit. Icirco scribit philippen. Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concisionem, significans ex Iudæis pseudapostolos qui sub nomine euangelij docebant Fiduciam operum legis. Et Actorum .xx. dixit Ephesiis. Ego scio quod post discessionem meam intrabunt lupi rapaces non parcentes gregi. Et ex uobisipsis exurgent uiri loquentes peruersa ut abducant post se discipulos. Paulus ut ibidem dicit, prædicarat & Iudæis & gentibus pœnitentiam ad deum & fidem in dominum nostrum Ihesum. Vt uideas lupos eum uocare qui diuersa ab his docturi sunt.

Vt uero facile erat Apostolis hæc prædicare, ita quoq; non difficile est nobis hodie talia præuidere, quando á uerbo spiritus, dum á deo deseruntur contemptores, non alio labitur homo quàm ad carnalem suam sapientiam, ut probet in sui damnationem quod sibi rectum uidetur non quod uerbo dei. Verũ hic Paulus de singulari reuelatione dei dicit. Spiritus ærto dicit, ut non suspitionem uideas sed rem prædictã necessario uenturam, quemadmodum & Christus prædixit de Antichristis & pseudochristis, qui dicturi siue prædicturi erant. Ecce hic Christus, ecce illic. &c. Has prophetias Apostolorum & Christi mendaces faciunt, qui post mille quingentos annos nihil horum quæ prædicta sunt accidisse contendunt. Si autem acciderunt, facile probabimus ex fructibus qui nam Antichristi & pseudochristi fuerint.

Oportuisse homines errare.

Discedent á fide. Non de illis dicit qui abiecto Christo sine fronte scortantur, adulterantur, rapiunt aliena, ebriosi sunt. &c. sed de illis qui uelut Christianissimi speciem sanctissimam sibi seruabunt, ita ut mundus iuret eos esse sanctos, secq; ipsi etiam sanctos existiment, id quod ex sequentibus luce clarius euadet. Fides Christiana effidit ut de te tuisq; operibus & meritis decq; omnibus creaturis desperes, fidas autem sola dei patris misericordia tete saluandum per Ihesum Christum dominum nostrum, qui ad hoc nobis á deo datus est ut sit nostra iustitia & uita æterna. Nemo inquit uenit ad patrem nisi per me. Per me si quis introierit saluabitur. Ego sum uia ueritas & uita. Sic deus dilexit mundum, ut filium

Fides Christiana.

 suum

suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat uitam æternam. Et Paulus ait. Christus factus nobis á deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Et iterum. Nunc absq; lege iustitia dei manifestata est, testimonium habens á lege & prophetis. Iustitia uero dei per fidem Ihesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt. non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt ac destituuntur gloria dei, Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Ihesu, quem proposuit deus propiciatorium per fidem in sanguine ipsius. &c. Et ad Ephesios. Gratia inquit estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis, dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim factura sumus, creati in Christo ad opera bona, quæ præparauit deus ut in illis ambulemus. Hinc facile uidere licet quid sit illud prophetæ. Iustus ex fide uiuet.

Apostatæ á fide.

Qui sunt ergo qui discesserunt á fide? nonne illi qui ab hac fiducia in Christum, quam in baptismo promiserant, defecerunt ad sua opera & humanas traditiones, quas (ne redire eis liceat ad fidem) iuramentis & uotis confirmant? quo quid amplius faciunt quám q, iurant se posthac non fore Christianos quemadmodum in baptismo uouerant? Christiani enim

ani enim sola in Christum fide fiunt. Alij operarij dicá possunt, Christus operarios iniquitatis appellat etiam illos qui se iactant in nomine eius prophetasse & miracula fecisse, propterea q, absq; fide omnia fecerint utcunq; sancta apparuerint. Quicquid enim est sine fide peccatũ est, et sine fide impossibile est placere deo. Itẽ traditionarii siue traditores á traditionibus hũanis, iustitiarii á iustitiis carnis, cappati, rasi, uncti, rosarii, missarij, horarũ canonicarũ lectores. Romanẽses uiatores dicá possunt. Christiani autem á Christo dicá non possunt. Nam Christiani solo Christo fidunt. illi autem suis operibus & traditionibus. Et licet uocabulum fidei sibi quoq; falso arrogent, tamen re ipsa negant, nam fidunt cappis, plattis & reliquis hominum inuentis quæ contemnere hæresim & damnationem esse iudicant. De hac defectione siue discessione á fide, ad Tessa. quoq; dicitur, q, post eam reuelandus sit homo ille peccati cum suo regno, qui hodie latere non potest, qua de re sepe scripsit D. Martinus, et uulgo feruntur meæ annotationes in secundũ caput secundæ Epistolæ ad Thessa.

Nõ negant hodie Papistæ se discessisse á fide, quãdo nihil magis oderũt, nihil magis persequuntur quã hũc unũ nostre salutis articulum. Ex fide in Christũ iustificamur. Huic ut uocant, articulo consonant omnes scripturæ, neq; aliud credunt aut credere ad salutem

lutem possunt qui á deo per Christum iustificantur, quemadmodum Petrus ait in Actis apostolicis · Huic inquit omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum · Hunc articulum per gratiam Christi iam recepimus, prædicamus, credimus, Fingunt nos aduersarii nostri nos multa docere nouæ sed plane in hoc uno articulo omnia nostra pendent · Hunc si possunt conuincant ex uerbo dei non esse uerum, & nullo negotio omnia nostra cadent, si non possunt, non sperent suum regnum staturum · Hic enim unus articulus utrunq; perficit & quod in eis cœpit & quod in nobis · Declarat enim, & semper, uelint, nolint, nobis etiam in Christo defunctis, declarabit illos defecisse á fide, nos ad fidem rediisse Cur miseris, præter innumera & clara testimonia non satis est, ut á defectione fidei redeant nobiscum ad fidem, per dei benignitatem quæ nunc nobis offertur, aut inquam non satis est quod Christus dicit · Frustra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum · Omnis plantatio quam non plantauit pater meus eradicabitur? Contra præceptum dei & uerbum Euangelij statuunt & statuta seruant, & per hæc adeo insaniunt, ut non solum Satanico errore se aliis sanctiores putent (quia supererogationis opera fecerunt qui nondum erogauerunt quæ ipsis commissa sunt)

Nihil docemus contra Papisticũ regnum, præter hoc solum, q, ex fide in Christũ iustificamur.

sa sunt) sed etiam suam sanctitatem, sua merita & opera aliis uendant · Plane impius est qui in his hominibus defectionem á fide non agnoscat ·

Attendentes spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorum, Qui sunt spiritus impostores, nisi hi qui Satana magistro spirituales uolunt haberi, & ista specie quasi ex spiritu sancto offundunt hominibus suos errores? spiritualia, id est ea per quæ homines iustificantur á peccatis et uitam habeant æternam, uidentur docere, sed doctrinæ sunt non dei sed dæmoniorum & mera impostura · Egregia saliæt hæc laus est traditionum humanarum, quæ tamen mentiuntur sanctitatem, merita, angelicam uitam · Neq; doctrinas hominum more scripturæ uocat, sed respiciens in fontem unde emanant, doctrinas uocat dæmoniorum, quas necesse est esse illas quæ uerbo dei aduersantur, quæ non docent fidem in Christum, sed fiduciam in opera utcunq; in specie sancta · Nam sancta & bona opera esse non possunt, sed peccata sunt, in quibus confidis & speras remissionem peccatorum & salutem, quando hæc gloria fiduciæ nostræ soli debeatur Iheſu Christo domino nostro · Rata est Christi sententia, Qui non est mecum aduersum me est ·

Doctrinæ dæmoniorum.

Isti spiritus impostores et doctrinæ dæmoniorum

dum docent per opera nos iustificari, dum fidere ipsi quæ nos possumus facere, nonne negant Christum uenisse in carnem? ut uideas qui sint seductores, & Antichristi, & spiritus qui non ex deo sunt sed ex Satana, de quibus Ioannes in epistola admonet ut caueantur. Vanis quidem uerbis, hoc est quibus ipsi non fidunt, dicunt Christum uenisse in carnem, Christum mortuum pro peccatis, sine Christo non esse salutem, cæterum nihil aliud faciunt his uerbis quám quod illi qui irridentes salutabant. Aue rex Iudæorum. Nam post istos titulos rem ipsam Christo negant, & pro peccatis alia remedia habent quám Christum, suis contritionibus, attritionibus, confessionibus, satisfactionibus, obseruationibus, religionibus fidentes, quæ potuissent ab hominibus fieri etiam si Christus non uenisset in carnem. Nonne his frustra uerbum caro factum est?

Qui sint qui negent Christum uenisse in carnem.

Neq; noui isti spiritus, qui hodie indignantur q nihil aliud docemus quam fidem & charitatem consistere in hoc possunt ut sentiant nos non nostro sed Christi opere saluari, sed semper aliquid sui operis necessario addendum iudicant sine quo non sit hominibus salus. Qua una additione semper notabis Antichristos, contra quos dicit Christus. Sine me nihil potestis facere. Faciunt quidem palmites fructum multum sed in uite, ad hoc autem ut uiti inserantur nihil facere possunt. Extra enim Christum quid facerent? Isti uero spiritus impostores ut á conditis hominibus ita & hodie, perguunt homines docere quo suis operibus & studiis ad hoc pertingant ut Christo inserantur et spiritum Christi hauriant. Quasi uero non sint in conspectu dei fœtida peccata quæcunq; faciamus antequam Christi spiritu Christo inseramur, quasi tuo fœtore tibi sanctum possis redimere spiritum. Omnes infideles, id est fiducia cordis non nitentes in solam dei misericordiam, uocat Christus operarios iniquitatis, etiamsi dicant se prophetasse ipsius nomine & miracula fecisse. Iccirco certus esto á fide discessisse qui aliam fiduciam docent preter eam quæ est in Christum Ihesum quacunq; tamen specie sanctitatis id faciant, quascunq; etiam reuelationes spiritus sancti se habere mentiantur, atq; ideo spiritus esse impostores, & quicquid docent hac impia contra Christum fiducia doctrinas esse non dei sed dæmoniorum.

Porro hæc Pauli prophetia, non tam erroris magistros, qui impudenter, contra conscientiam, nullo dei respectu, mentiuntur ut suos confirment errores, ac Paulus accusat, quám illos qui sub specie sanctitatis per superstitionem sinunt se ab illis & ab illorum inuentis doctrinis seduci & errorem suum pro sanctitate adorant. Seductos

ant, quemadmodum hactenus multi boni uiri, nihil mali in hac re sibi conscij, receptos errores scauti sunt, & mordicus tenuerunt, ita ut etiam seducti fuissent electi si fieri potuisset, quemadmodum Christus prædixit. Accusat inquam erroris discipulos dum ait. Attendentes spiritibus impostoribus. &c. q. specie ueritatis, ficta religione, mendaciis miraculis sinunt se abduci in doctrinas dæmoniorum, in abnegationem iustitiæ dei quæ est per Christum Ihesum dominum nostrum.

Non excusat hic bona intentio quam uocant.

Sed nũ excusantur, q. qui sic se sinunt seduci habẽt bonã cõscãtiã, bonã intentionẽ qua cultũ dei uolunt et uolunt consultum suæ saluti? Respondeo. Christus hic profert sententiam. Si cæcus cæcum ducat ambo in foueam cadunt. Cæci sunt q. defidentes á fide ucro lumine, attendũt tenebris et hic mirantur quæ ipsis sine uerbo dei sancta uidentur. Bona consdentia & bona quam uocant intentio debet rectificari uerbo dei, alioqui tua somnia & humana figmenta pro ueritate sequeris. Et dcedet tibi hoc iudidum dei quod Paulus scribit Tessa. Dilectionem inquit ueritatis non susceperunt ut sani fierent, ideo mittet illis deus operationem erroris ut credant mendadi, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati sed consensernnt iniquitati. Sola fides est religiosus cultus dei. Hac abrogata hodie traditiones humanas pro cultu dei habemus. Neq; sinunt se abduci á fiduda traditionũm quibus obstinata mens est, usq; adeo attendunt spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorum, etiamsi nullum dei uerbum habeant unde certi sint se suadq; deo placere, etiamsi uerbis dei manifeste eis declares errorem. Vt non frustra prædixerit Paulus. Discedent á fide intendentes spiritibus. &c. Vt non frustra quoq; aliis dixerit, qui sordet sordescat adhuc.

Qui defiaunt á fide non possunt non attendere spiritibus erroris, ut semper ita & nunc, & ne ex fructibus quidem deprehendere possunt arborem. Animales enim facti quid spiritualium intelligerent? Christiani uero qui sola in deum fiducia nituntur acceperunt præceptum. Attendite á falsis prophetis qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces, non parcentes gregi sed loquentes peruersa ut trahant post se discipulos. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus num ex deo sint, quoniam multi pseudo prophetæ exierunt in mũdũ. Et addit Ioãnes fructus unde eos cognoscamus dicens. In hoc cognosatur spiritus dei. Omnis spiritus qui confitetur Iheſum Christũ in carne uenisse ex deo est. Et oĩs spũs qui non cõfitetur Iheſũ Christũ in carne uenisse ex deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis q. uenturus sit & nunc in mundo est. Antichristi

Discretio spirituum.

christi facti sunt multi. Ex nobis prodierunt, id est Christianos se fingebant, sed ex nobis non fuerunt. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum, sed hoc fit ut manifestum sit q, non omnes sunt ex nobis. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, id est talem iustiam hoc est humanam prædicant, quam mundus & sapientia humana condemnare non potest, & mundus eos audit. Nos ex deo sumus. Qui nouit deum audit nos, qui non est ex deo non audit nos. Per ista cognoscimus spiritum ueritatis & spiritum erroris.

De mundo prædicant Antiberisti.

Ne uero obscurum sit qui isti Antichristi de mundo loquantur, ne putes loqui de scortatione & latrociniis, sed potius ut uideas loqui de sanctis quasi rebus, Audi Paulum qui sic ait Colos. Videte ne quis uos decipiat probabili sermone, ne quis uos deprædetur per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christū, Vides ne damnari omnem Aristotelicam & Platonicam theologiam, ex qua ortæ sunt omnes papistarum sectæ, quæ in elementis huius mundi, & in pharisaicis id ex externis iustiis constituunt rationem æternæ salutis. Et addit. Quia in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo completi, qui est caput omnis principatus est potestatis. &c. quibus declarat in Christo nos deum patrē certo possidere, in ipso nos possidere omnia, per ipsum in cruce pro nobis satisfactum & contra aereas potestates triumphatum, ut extra Christum in illis sanctis figmentis traditionum humanarum nihil requiras.

Ex his etiam perspicuum est quod in prophetia additur. In hypocrisi loquentium mendacium. Dæmonia loquuntur per illos spiritus impostores, quemadmodum spiritus sanctus per ueritatis præcones loquitur. Loquuntur inquit mendacium, nam ex propriis loquuntur, quemadmodum pater ipsorum diabolus, ut ait Christus in Ioanne. Sua somnia nobis pro uerbo dei offundunt, quæ non possunt non esse mendacia, quibus istam summam impietatem & execrandum mendacium addunt, ut dicant ista se habere ex spiritu sancto, ex reuelatione diuina, sine quibus seruatis non sit salus. &c. Atq; hæc ideo faciunt ut mendacium hypocrisi id est egregia ueritatis & sanctitatis specie tegant, ad decipiendum eos qui defiaunt á fide & attendunt istorum doctrinis & institutionibus.

In hypocrī si mendacium.

Hos ut cognoscamus Colossenses claris uerbis in loco eodem ita monet. Nemo uos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut sabbatorum,

sabbatorum quæ sunt umbra futurorum, id est ue-
ram iustitiam, quæ per Christum mundo uulganda
erat, tantum præsignificabant, corpus autem Christi
id est ipsa ueritas & res ipsa quæ significabatur in
Religiones angelicæ. Christo est, ut nõ iã signis opus sit quãdo rẽ quæ tũc
significabatur possidemus. Nemo uos seducat in humili
tate data opera et religione angelorũ, quæ non uidit,
sed mẽtitur se uidisse hoc ẽ agnouisse, quasi à deo sint
ista humilia id est uilia et sordida et quæ persuadere
uult angelicã esse sanctitatẽ, ambulans frustra infla-
tus sensu carnis suæ, id est humanæ sapientiæ, quæ
non potest esse subiecta deo, scatus præstigia, &
non obtinens caput id est Christum, ex quo totum cor
pus per nexus & coniunctiones subministratum &
coagmentatum crescat secundum augmentum dei.

Et pergit. Si ergo inquit mortui estis cum Chri-
sto ab elementis huius mundi, quando regnum &
iustitia Christi non est in hoc mundo aut huius mun
di rebus, & Christus non est in mundo, in quo Chri
sto omnes Christiani sunt huic mundo mortui, quid
tanquam uiuentes mundo & mundanæ iustitiæ tene-
mini in conscientia uestra his mundanis decretis. Ne
tetigeris, ne gustaueris, ne contrectaueris, quæ om
nia ipso usu consumuntur? secundum præcepta &
doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem ha-
bentia sapientiæ in superstitione & humilitate, &
non parcendo

& non parœndo corpori, nec honorem ei habendo
quantum carni satis est. Vides & hic mendacium in
hypocrisi. Hoc mendacium cœpit in paradiso, quan
do contra dei uerbum persuasit Satan, homines per
uerbi contemptum similes dijs futuros.

Sequitur. Cauteriatam habentium suam cons-
entiam. Vtcunq; omnia quæ isti docent & profitentur
in speciem sanctissima uideantur, & approbentur
ab omnibus qui defœrunt à fide & his attendunt,
utcunq; suis mendacijs gloriam aucupentur, sancti-
tatem & merita iactitent, & uel angelorum religio
nem simulent, tamen intus in conscientia pudendum
signum habent, cauterio insti sunt coram deo, ut
illi qui propter sua scelera turpes notas publico iudi-
cio acœperunt. Turpitudinem ibi habent, quam dum
omnia hypocrisi tegunt ad fallendum imitatores uel
solam tegere non possunt. Hic omnia fœtent. Hic
cum Cain fugitur à conspectu dei, Hic mendacium si-
bi conscium timet ne occidatur & pudefiat ubicunq;
inuentum fuerit, capit in tenebris agere istud dæmo
nium meridianum, q. meridinaum est ostentat, q.
uero dæmonium est hypocrisi tegit. De cauteri
atis consci
entijs.

Confer nunc istos hypocritas cum ueris sanctis
in sanctis quos deus per Christum sanctificauit om-

 nes externæ

Iudicium mundi falsitur in iudicãda sanctitate.

nes externæ formæ despiciuntur, Nam contemnuntur a mundo, seductores iudicantur, indigni putantur hac uita, quin & ipsi sciunt & fatentur quid ex se sint. nempe peccatores, Intus uero est omnis decor filie regis, ibi enim fides facit securam coram deo cõscientiam, ibi est gaudium in spiritu sancto quod nemo tollet ab eis. Ibi conscientia læta scit se gaudere de uerbo dei, nihil sentire cõtra uerbũ dei, nõ se adulterare uerbũ dei, in hoc uerbo haber salutẽ et omnia per Ihesum Christum dominum nostrum. Hic dicere cet cum Paulo, Gloriatio nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, q; in simplicitate cordis & syncæritate dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia dei conuersati sumus in hoc mundo.

hypocrisi

In hypocrisis uero omnia sancta apparent, mundus glorificat eos, sancti patres uocantur, saluatores habentur sine quorũ meritis hic mundus non staret, quicquid dicunt oraculum est. Inexpiabile peccatum est uel mutire contra eorum sanctitatem, sed intus in conscientia miseria, turpitudo & fœtor est, quæ ut maxime ad tempus præ opinione iustitiæ non sentiunt, sentient tamen ubi lampades extinguentur. In tentatione enim grauis conscientiæ aut saltem in morte, percuntibus ipsorum meritis in quibus sperauerãt, non norunt aliud quám desperare. Nunquam uero coram deo bona conscientia et secura gaudere possunt.

Maledicta

Maledicta ergo externa hypocrisis quæ mala intus conscientia premitur.

Errorum magistri suis Satanicis mendacis faciunt alijs cauteriatas conscientias.

In primis uero errorum magistri, qui reuelationes fingunt & spiritum iactant, interim tamen docentes ea quæ uerbum dei non habet, & de quibus ipsi dubitant aut certo sciunt se mentiri, quam putas conscientiam habeant nisi cauteriatam id est æterno opprobrio coram deo notatam, in qua suum signum sculpsit diabolus ne amplius cognoscatur esse dei. Nam pessima conscientia in hypocrisi loquuntur mendacium. Hi magistri efficiunt suis dæmoniorum doctrinis, ut quotquot errore misere seducti eos imitantur sortiantur quoq; cauteriatas conscientias id est turpi & Satanæ signo notatas. Conscientiæ enim pulchritudinem debemus deo, ut trepidemus ad eius præcepta atq; iudicia, gaudeamus de eius promissionibus & si quid secundum eius uoluntatem recte curauerimus.

Discipuli autem spirituum impostorum & doctrinarum dæmoniorum, relicto dei uerbo (nam derelinquerunt fidem) trepidant ad uerba & traditiones humanas, mortaliter se peccasse sentiunt, si non sic edant, legant, uestiant, uigilent. &c. mereri autem & sibi & alijs si faciant secundum humanas adinuentiones. De his omnibus habent conscientiam, de hoc uero q; hæc omnia sunt contra deum et Chri

stum

stum eius, nempe q; in talibus fidunt, nullam habent conscientiam. Conscientia ergo eorum adultera est et signum habet turpitudinis, dum contempto dei uerbo, frustraneis hominum doctrinis uult suo errore se alligatam.

Ducere uxorem est Papistis hereticum, non autem scortari.

Nonne cauteriatam habent conscientiam, qui cum scortis contaminari non uerentur, et facilem sibi persuadent absolutionem, & satisfactum putant per lectionem psalmi, Miserere mei deus, aut per aliud, donec pura conscientia, ut putant, missauerint, nam ultra non cupiunt absolui, non enim scorta abijciunt aut abiecta uolunt. Illos autem qui propter conscientiam, timore dei, secundum dei uerbum & ordinationem, ducunt uxores ad uitandam scortationem iudicant hereticos, è mundo tollendos, quibus nulla satisfactio ualeat ut suas á deo acceptas retineant uxores, qui non possint absolui, licet non peccarint in deum, nisi á sede Romana aut habente potestatem, & ne ab hac quidem sede possint absolui nisi relictis, (quod prohibet deus) uxoribus, redeant ad scortationem, quo enim redirent nisi ad scortationem quibus deus non dedit ut extra coniugium á se instituũ pure uiuant? quemadmodum ante satis diximus, Propter scortationem uitandam ait Paulus, unusquisq; habeat suam uxorem. Nonne inquam isti cauteriatam

riatam habent conscientiam.

Discessisse papistas á fide certũ est.

Hanc autem conscientiam quibus ferent acceptam nisi spiritibus impostoribus et doctrinis dæmoniorũ in hypocrisi docentium mendacium? Sic autem decipi debuerunt, quia discesserunt á fide quam Christo in baptismo promiserant, ut credant mendacio qui dilectionem ueritatis non susceperunt. Tu ne adhuc dubitas discessisse á fide, id est á uerbo dei siue á fiducia in deum, qui ea quæ deus prohibet, nempe decem scorta, facilius admittunt quam unam coniugem? Illud utcunq; peccatum esse dicant tamen uenia dignum iudicant. Hoc autem irremissibile faciunt, nisi & tu qui duxisti uxorem damnes cum ipsis coniugium. Nonne hoc est agere absq; fide & absq; timore dei, sic ludere coram deo & irridere & contemnere in ijs quæ deus prohibuit, & rursum sic blasphemare, condemnare & persequi ea quæ deus instituit & suo uerbo approbauit? O insaniam, Ve uobis Sodoma & Gomorrha. Audite uerbum domini principes Sodomorum, percipite auribus legem dei uestri populus Gomorrhæ, non uictimis uestris, solemnitatibus & fictis præcibus uestris effugietis iram dei, nisi relictis traditionibus uestris ex quibus habetis cauteriatas conscientias, redeatis ad uerbum dei, quod solum rectificat conscientias in conspectu dei, & non sinit abire in

Vae vobis Sodoma et Gomorra.

abire in errorum tenebras, quemadmodum ille dixit Lucerna pedibus meis uerbum tuum & lumen semitis meis. Legite uos reliqua contra hypocrisim uestram dicta Esaiæ capite primo.

Stultitia cauteriatarũ conſcientiarum.

Inuenies qui rapinas ſequuntur & latrocinia, qui uſuris & iniuſtis lucris uictitant, ut taceam alia & fadem ueniam ſibi pro omnibus promittunt atq; adeo quædã non agnoſcunt eſſe peccata, qui ſi comederent carnes feria ſexta aut in quadrageſima crederẽt ſe non Chriſtianos eſſe poſſe ſed hæreticos et in æternũ damnatos. Sic dolent ſacerdotes de neglecto manipulo, qui nullam conſcientiam habent de uenditione miſſarum, & q; ſepe coacti celebrant miſſas & tractant corpus & ſanguinem domini, edentes & bibentes, alioqui libentius non celebraturi, nullam habent conſcientiam q; corpore & ſanguine domini in ſacramento non utuntur quemadmodum Chriſtus inſtituit, quia pro uerbo Chriſti traditiones humanas ſuſceperunt. Sic iudices & principes nullam conſcientiam habent q; cauſa uiduæ & pupillorum non ingreditur ad ipſos, q; non reſiſtunt opprimentibus, q; non gubernant quaſi rationem reddituri de commiſſo officio, qui tamen cauteriatis conſcientiis trepidant ad illas traditiones humanas, ita ut potius audeant uerbum dei et ſacrum Chriſti euangelium perſequi & ſanguinem

et ſanguinem effundere innocentem, quàm uel latum digitum ab hominũ conſtitutionibus diſcedere. Mundus ferè totus hæc hodie uidet, & tamen illi non putant ſe uideri ne á deo quidem.

Timor dei hypocriticus et á deo damnatus.

Sed hic omnes ferè iſtæ cauteriatæ conſcientiæ excuſant dicentes. Nos non timemus in iſtis obſeruationibus homines aut humanas doctrinas, ſed deũ. Si enim aliquid contra facremus, credimus nos non in homines ſed in deũ peccare. Ideo hic conſequimur timorem dei quem ubiq; ſacræ literæ commendant. Reſpondeo. Hæc maxime pertinent ad mendacium quod ſpiritus impoſtores in hypocriſi loquuntur. Scio multos homines hac ſpecie falli, qui alioqui non ſunt ſibi in pluribus rebus male conſcij, ſed quando non uerbo dei ſed ſpiritibus impoſtoribus attendunt, neceſſe eſt eos ſic falli, ut cæca cum cæcis in foueam cadant. Debet quidem deus timeri, & infœlix eſt qui timorem domini abijcit, ſed timeri uult in ijs quæ ipſe præcipit & uetat, non in ijs quæ homines confinxerunt, & pro blaſphemia habet ſi eius mandato mandata & doctrinas hominum compares. Comparas autem, ſi quemadmodum ſaluantur qui ſeruant mandata dei, & damnantur qui non ſeruant, ſentias etiam ſaluari qui ſeruant mandata hominum damnari qui non ſeruant, ut taceam de inſania illorum qui hæc illis præferunt.

Timere deum propter traditiones humanas.

Hunc autem timorem dei, quam hypocritæ iustiarij, relicto dei uerbo, ex traditionibus humanis sibi formarunt, esse maledictum á deo, testatur ipse in Esa. dicens. Eo q̃ appropinquat populus iste ore suo, & labus suis glorificat me, cor autem eius longe est á me et timuerunt me mandato hominũ et doctrinis, ideo eæ ego addo ut mirabilem rem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia á sapientibus eius, & intellectus intelligentium eius abscondetur. Quod ore & labiis appropinquant deo sine corde, significat eos fingere doctrinis & externis obseruantiis cultum dei, cæterum defecisse á fide id est fiducia cordis in deũ. Attendere uero ait spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, quando dicit. Timuerunt me mandato hominum & doctrinis.

Quæ maior laus, quæ maior sanctitas aut ærtior posset audiri, quoniam quando deus commendat homines dicens. Timuerunt me? Non hic fallitur iudicium ubi deus ipse pronuntiat, & addit. Timuerunt me propter mandatum & doctrinas hominum. Non mirum si ex hac dei sententia inflarentur traditores siue traditionarij illi & dicerent. Eæ deus ipse pronuntiat quid boni ex nostris mandatis & doctrinis ueniat, nempe q̃ ex eis discant homines timere deum. Sed audite uestra merita, uestras coronas, uestram retributionẽ atq; adeo uestram impietatem. Horrendo inquit miraculo sapientes qui sunt in isto populo faciam stultos & excæcabo, & intelligentes faciam sine intellectu. Excæcatis autem sapientibus id est principibus, iudicibus & doctoribus siue prædicatoribus, quid fiet de reliquo uulgo? Regnabit ergo impietas & stultitia sub specie sapientiæ & cultus dei, quare inquit sic excæcabo, quia timuerunt me propter mandatum hominum, qui sic timent deum, ærtum est q̃ mandatum & uerbum dei abiecerunt, facientes quod ipsis sanũ & rectum uidetur id quod lex prohibet. Ex his uides quam cauteriatarum conscientiarum nulla sit excusatio.

Regnabit impietas sub specie sapientiæ & cultus dei.

Impietas inimica uerbo, uult se uerbo dei tueri.

Verum hic insipiunt uel sero sapere quidam dicentes, quare accusatis q̃ sic edimus, uestimus, obseruamus, & quare Pauli prophetiam interpretamini contra nos, Quando Paulus ubiq; docet talia nihil obesse ad salutem sed posse libere seruari? Et addunt Non omnes Papistæ sunt scortatores, sed inueniuntur multi boni uiri clerici & monachi atq; adeo & laici cælibes de quibus nihil habetis quod accusetis. Audio, sed si sic inæperitis loqui de libero usu uestrarum traditionum, ut licèat cum bona conscientia ita non uti quemadmodum uti, non stabit regnum ue-

Prætextu libertatis christianæ hodie Papistæ quidam seruitutem Satanæ defendunt.

Non enim accusamus talia opera sed operum opinionem id est q̃ per ea speratis impie salutem, neq; Paulum interpretamur contra uos, sed ipse uos manifestis uerbis ubiq; ita prodit ut nostra interpretatione non sit opus. Vereor ne non ex animo ita inapiatis sapere, sed potius quærere, ut licet alia hypocrisi, tamen idem uestrum mendacium confirmetis, ne non euangelicam ametis libertatem per quam conscientiæ liberæ sunt, sed potius isto prætextu quæratis, ne quis uerbo dei sit uestris astutiis & cauteriatis conscientiis molestus. Si per uerbum euangelicum quod prædicat Paulus liberæ sunt uestræ conscientiæ, curate ne posthac mundus amplius uestra hypocrisi seducatur. Seductores fuistis orbis non satis erit uobis in oculo resipuisse & cauteriatas conscientias exuisse. Damnate publicæ errorem qui hactenus in hypocrisi locati estis mendacium, aut certe attendistis illis spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorũ quæ locati sunt in hypocrisi mendacium, ut seducti seducæretis & alios.

Quod uero dicitis. Non omnes Papistas esse scortatores sed multos esse bonos uiros qui coram mundo accusari non possint. Scio, nemo nostrum negat. Non enim agimus mendacijs contra papistas, quemadmodum quidam qui ex nostris uideri uolunt sed non sunt

non sunt, qui enim pro ueritate mendacijs pugnare mus? Scripturis & ueritate hic opus est non mentiVeritate a tis conuitijs. Si solum de peccatis ageretur personã gendã con rum, nos certe operiremus per charitatem multa tra Papitudinem peccatorum, quando & nos sumus peccatostas non cõres & in multis delinquimus, uerum contra doctriuitijs. nam eorum nobis res est qua seducant orbem, docen tes fiduciam operum id est stercorum humanorum, pro fiducia in Christum qui est saluator mundi, Confundimus per uerbum dei eorum uerba, ne amplius seducant alios, & ut ipsi conuertantur nobiscum ad Christum. Itaq; non euadent isti quos bonos dici tis & non esse scortatores quo minus sint hac Pauli Sanctuli prophetia notati. Nam non hic agitur de scortatione Papistæ in aut alijs uitijs, sed de cauteriatis conscientijs quæ soprimis acueris sancta hypocrisi mendacia humana pro ueritate ausandi uenditare possunt. Primarij ergo hic erunt quos uos excipere uolebatis.

Nam ut innumera alia taceam, quibus quæso debemus confirmatum istum clericorum & monachorum cælibatum, qui tam multas animas atq; adeo & corpora perdidit & hodie perdit, nisi istis sanctulis uestris qui in specie sancte uiuere possunt? Ut quo ista eorum sanctitas latius propagaretur, effecerunt ut isti laquei traditionum humanarum tenderentur,

rentur, quo Satan eius spiritu hæc excogitarunt plures caperet animas & illaqueatas teneret. Si enim omnes fuissent scortatores, non potuissent uel hac constitutione tam diu seduxisse, nemo commendasset eorum contra uerbum dei præsumptam temeritatem. Oportebat ut mendacium quod locuti sunt, quod statuerunt, tegeretur hypocrisi, ut hic & alijs possent persuadere & imponere, quo sinerent suas conscientias isto cauterio inuri, ut potius auderent scortari quam coniuges fieri.

Interroga illos Papistas qui non scortantur, an liceat alijs qui in periculo agunt ne labantur in scortationem ducere uxorem. Non licere dicent, quia sacra sancta Romana ecclesia hoc non permittit. Non sunt hodie qui magis resistunt ne ducantur uxores á clericis, atq; illi qui ista carnali sanctitate tument, dum alij qui tam graues habent conscientias libenter caperent liberari, & per dei coniugum ex Satanæ laqueis euadere, Cauteriatas ergo isti in primis conscientias habent, ut humana & Satanica diuinis et uerbis & operibus præferant, quos uos præ cæteris sanctis sanctiores.

Quam uero cauteriatam conscientiam dixit Paulus ille in Apocalypsi sine dubio characterem bestiæ uocauit, ut notatos in conscientia suos habeat Antichristus, quæmadmodum Christus suorum sibi conscientias notatas habet. Hœdi Antichristi paucnt ad eius traditiões, Oues autem Christi solã sui pastoris uocem audiunt. Verum Christus contentus est fide suorum. Antichristus autem quia suorum conscientias uidere non potest, & dubitat quandoq; num conscientiæ sint cauteriatæ, curat per totum suum regnũ ut nemo emat uel uendat, hoc est inter homines agat & sibi victum quærat, nisi Characterem bestiæ portet in dextera manu aut in fronte, id est nisi fateatur externo cultu & externis traditionum humanarum operibus quasi sanctis sese intus habere conscientiam cauteriatam. Hæc hodie uidemus in regno papistico, quod cogit ad istum characterem passim omnes, et persequitur testes Christi domini nostri. Hinc primum quærunt, si quem ob confessam Christi fidem capiunt, quid sentiat de papa, num sentiat Papam caput esse ecclesiæ, non quæritur quid sentiat de Christo, Veh tibi cauteriata & peruersata conscientia. Veh tibi homo peccati, qui in templo dei id est in conscientijs hominum tuo cauterio uis regnare. Nihil aliud agis tuis constitutionibus in quibus fidunt homines, quam q; peccata multiplicas, dum abnegatur Christus, per quem solum est remissio peccatorum. Neq; enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus per quod oporteat

Characteres bestiæ.

oporteat nos saluos fieri.

Cauteriata etiam corpora.

Postq̃ autem cauteriatas conscientias fecerunt, ne corpora quidem reliquerunt absq; cauterio, ne non suos hedos agnoscere possent, Finxerunt enim tot sectas monachorum et clericorũ, tam multiplicia genera & colores, capparum atq; diuersas rasuras, & hæc ipsa adeo necessaria fecerunt, ut cauteriatis conscientiis nihil liceret immutare, etiam si uerbum dei aliquando immutationem postularet, Deinde qui sic insigniti sunt, soli reliquo gregi præficiuntur, ne & grex absq; cauterio inueniatur. Has autem notas impij audent uocare regnum Christi, cum tamen in Christo non sit Iudæus neq; Græcus, non masculus neq; fœmina, sed omnes unum in Christo Iesu domino nostro. Hæc hactenus de conscientiis cauterio notatis.

Blasphemiæ in cuangelicos homines.

Hic iam dudum audio blasphemas in euangeliũ Christi uoces iactitari dicentium. Quæ in ista prophetia Pauli habentur, dicta sunt contra Lutheranos sic enim blasphemant ista appellatione eos quibus Christus dedit suum euangelium. Nam aiunt, Hi discesserunt á fide Romanæ ecclesiæ, & attendunt erroribus á sacrosancta sede damnatis, & loquuntur mendaciũ in hypocrisi, quia fingunt se doctores ueritatis. Taceo reliquas non in nos sed in euangelium dei blasphemias. quibus tantum abest ut terreant uel nos uel alios qui amantes sunt ueritatis, ut potius confirment, uidemus & audimus nobis fieri, quæ Christus prædixit suis confessoribus uentura, ut non dubitemus de promissionibus & consolatione æque prædictis, quando ueniunt tentationes quas prædixerat. Hic audimus á Christo quo leuius feramus omnem illam iniuriam. Beati inquit estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos mentientes propter me, Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante uos.

Nos prædicamus Iesum Christum & hunc crucifixum in quem qui credunt habent remissionem peccatorum & uitam æternam, & plane negamus per aliud iustificari hominem quàm per hunc Iesum Christum qui factus est nobis á deo patre iustitia. Hæc est fides quam commendat nobis ubiq; sacra scriptura, quam & ipse dominus noster Iesus Christus toties nobis in euangelicis literis inculcat, & quam Apostoli prædicauerunt. Ergo non discedimus á fide. Si autem Romana ecclesia aliam fidem habet. maledicta est & á fide uera discessit. Etiamsi angelus è cœlis

aliud

aliud euangeliget (quemadmodum Galatis erat aliud prædicatum nempe fiducia operum) maledictus sit. Porro si Romana ecclesia eandem fidem nobiscum habet, aut nos damnat?

Quos autem errores sacrosancta illa sedes damnarit uiderit ipsa. Nos non attendimus erroribus sed sacro dei uerbo, quod illa sedes hodie manifeste damnat. Atq; hic utcunq; uos aduersary nostri nos damnetis, commendat nos sanctus Petrus, quem uos Romanæ sedi præsidere putatis dicens. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui attendentes benefacitis tanquam lucernæ in caliginoso loco, donec dies illucescat. & lucifer oriatur in cordibus uestris. Sed apud uos error & hæresis est uerbum dei, dum damnat omnia illa quæ uel sola uos magnificatis. Quod uerbum cum prædicamus, aut non dicamur doctores ueritatis nisi q, uobis uerbum dei ueritas non est?

Qui aut hypocrisi laboramus qui manifesti sumus toti mundo? Nonne uerbo dei nos omnem uestram hypocrisim deteximus? Vt non dicam, q, nobis ne licet quidem per uos in hypocrisi agere, adeo diligenter exploratis omnia nostra, esum, potum, lusum, crepitum etiam uentris. Si habuissetis uos tam diligentes obseruatores, iam dudū uestra hypocrisis mundo

mundo traducta fuisset. Quid quæso inuenistis in nobis quod liceat uobis iustæ damnare, si omnia quæ in nobis damnatis uerbum dei probat? Si uero quidam sint, ut sunt certe multi qui se gloriantur euangelicos sed falso, & sunt scortatores, adulteri, latrones, magistratibus non parentes, infirmos in fide nullo pudore scandalizantes, sectarum autores, sacramenta à Christo instituta blasphemiis doctrinis prophanantes, & isto sub nomine euangelico fidentes, hos susitat nobis Satan quasi nostri sint, ut per eos sacrum Christi euangelium & bonum Christi nomen quod inuocatum est super nos male audiat inter gentes id est inter infideles. Hos (si inuidia uestra hoc possit credere) Satore non esse ex nobis, nihil commercij nobis esse cum illis, excomunicatos dei excomunicatione eos esse apud nos, magis á nobis damnari quàm á uobis. Nam uos solum euangelium damnatis, omnia scandala facile sustinetis. Damnari uero eos á nobis testantur nostræ condones. & nostra scripta in publicum emissa etiam tam ante aliquot annos, Neq; uero ex imitatione Lutherani recte uocantur. Longe enim melior uir est Lutherus, & longe syncerius tractat euangelium quod ei deus commisit, quam ut probaret illos nebulones, non rectis secundum uerbum dei consentiis quiduis præsumentes. Longe præterea alius est uir ille et lõge sanctius docet quam

Lutherani quos uocãt iniuste dãnantur.

á mendacibus linguis in odium sacri euangelij fingi-
tur. Testes ei sunt quotquot cum audierunt, testes
sunt quotquot eius scripta recto iudicio legerunt.

Antichristiani latere nũc nõ possunt.

Verum ne hic perpetuo contenderemus cum aduersariis, qui nolunt prophetiam Pauli contra se prædictam, aut ne opus esset expectare hac de re sententiã Iudicis in extremo die, spiritus ille qui in Paulo certo hæc prædixit, duo insignia exempla adiunxit, unde cognoscæremus certo illos spiritus impostores & doctrinas dæmoniorum, dum ait Prohibentium nubere & abstinere á cibis. Hic liberum faciamus aduersarijs nostris ut dicant hæc contra Lutheranos esse dicta, quibus quæso persuadebunt? Ridebit eos mundus, ridebunt & ipsi sese, non credent ipsi sibi. Hic dæmonium illud quod meridanum uult uideri, amplius suas horrendas tenebras abscondere non potest, detecta est larua. Confusi sunt Papistæ qui in his duobus præceptis regnant, Iustificantur, quos uocant Lutherani, qui quàm maxime á papistis damnantur q, ista duo eorum præcepta & uerbo & facto ut Satanica mundo traduxerunt.

Fatale per deum fuit, q, deus statim in initio reuelati nunc rursum euangelij arcuit ut ista duo per ueritatem declararentur non esse á deo, quã multi fuerunt qui

runt qui certis conscientiis senserunt clericis licere
ducere uxorem etiam prohibente papa, qui antea uel
dispensationem papalem somniassent uel ne cogitas-
sent quidem de isto cælibatu immutando, multo
plures autem fuerunt, qui statim non solum edendas Statim cũ
feria sexta aut alijs temporibus á papa prohibitis ca- euangelio
nes senserunt, sed etiam ederunt, non contempto qui reuelatus
dem uerbo dei sed contemptis humanis traditionibus error de
quando uidebant uerbum dei diuersum habere. Hinc coniugio
tam multi cum multorum, non solum phariseorum et cibis.
(quod contemnendum est) sed etiam infirmiorum
(quod Christiani contemnere non debent) scandalo
carnes papisticis ieuniorum diebus edebant, id quod
nemo nostrum probabat. Per fidem & conscientiam
coram deo licebat, per charitatem coram infirmio-
re in fide fratre non licebat.

Hæc autem reuelatio de cælibatu & cibis primũ facta est, ut predicatio euangelii certius crederetur esse á deo, & illam prædicationem papistarum qua hactenus seducti sumus esse doctrinas dæmoniorum, nã prohibet nubere et abstinere iubet á cibis, quando interim prædicatio euangelii facit liberum cuiuis ducere uxorem, non permittit autem scortationes & adulteria, facit liberum edere quiduis, tantum admonet ne cum scandalo infirmioris fratris edas, donec

 reueletur,

reueletur ueritas, Nam tametsi non inde fias Christianus si eas carnes feria sexta, quemadmodum stulti putant, tametsi non inde, q, tu papisticus sacerdos ducis uxorem, quando ex sola in Christum fide Christiani sumus & sumus, & fieri potest ut qui edit carnes & ducit uxorem non credat in Christum, Tamen ad Christianum pertinet ista approbare & á deo esse facti, ut maxime ipse non indigens non ducat uxorem, ut maxime uel propter charitatem uel alioqui uoleus non edat carnes, Christianus non est qui ista damnat, Nam doctrinas sequitur non dei sed dæmoniorum. Si quis autem infirmus in fide Christi est ut non statim hæc intelligat, propter traditiones humanas quibus hactenus seductus est, oret ut intelligat, & faciat interim quod Paulus monet, hoc est Manducantem non iudicet. Nam si frater est breui intelliget ueritatem, si autem frater non est id est si omnino infidelis est & carnis iustitiis tumens, neminem audiet, condemnabit omnia, is rursum non expectet á nobis ut non eum scandalizemus. Sinite eos, ait Christus, cæci sunt & duces cæcorum, qui per ea quæ intrant in os & per uentrem emittuntur in secessum, quærunt sanctitatem & iustitiam, ut habeant stercorariam iustitiam atq; adeo pro iustitia stercus.

Humana iustitia.

Quo ergo loco habebit deus principes & iudices qui relicto gladij sui iure, quod ipsis commissum est, ad laudem bonorum, ad uindictam uero malorum, inapiunt seuire in innocentes id est in illos clericos qui propter conscientiam secundum deum ducunt uxores, aut in eos quos audiunt edisse feria sexta aut diebus quatuor temporum. &c. carnes? Quid aliud faciunt quam q, propter doctrinas dæmoniorum (id quod uel ex hoc loco Pauli uidere possunt) graue nimis faciunt contra se dei iudicium? Nihil mouetur deus exteriatas ipsorum conscientias, quibus putant se obsequium præstare deo, dum miseros persequuntur qui nihil contra eorum potestatem commiserunt. Hic se faciunt Antichristi seruos, quos deus in suo loco ad recte iudicandum constituerat. Postq; enim ille doctrinis dæmoniorum occidit animas per prohibitionem nuptiarum & carnium, isti etiam occidunt corpora ut illius regnum statuant. Cessent ergo & agant pro hac temeritate pœnitentiam, scientes q, horrendum est incidere in manus dei uiuentis. Ecce non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israel. Qui in scripturis dicitur pater pauperum & iudex uiduarum ueniet subito contra oppressores in die qua non sperant.

Principes relicta sua uocatione incidunt horrende horrendum in iudicium dei.

Age nunc uideamus diligenter, quid spiritus ille dei, qui hæc ortu in Paulo prædixit, uelit, quando

his duobus exemplis declarat, de quibus reliqua dixerit. Quis non trepida admiratione suspensus, cogitaret horrēda quædam exempla seatura et mundo hactenus inauidta, postquam audit defectionem fidei, spiritus erroris, doctrinas dæmoniorum, mendacium hypocrisi tectum, characterem turpem in consæntia? Et cæ hæc adijat quæ nemo ne somniasset quidem ad illa horrenda pertinere, dicens, Prohibentium nubere, abstinere á ābis &c.

Certi sumus qui sint qui habēt doctrinas dæmoniorū.

Hæc sunt apud Papistas sanctissimæ leges, ex quarum altera fœrunt angelicam uitam in terris, quasi uita bona esse possit quæ est coacta legibus, ex altera, uarios abstinentium ordines, ut tacæam alias ustiäariorum omnium illusiones. Quod si sanctissimæ istæ eorum leges á Satana sunt, quia homines defidentes á fide disant in harum legum operibus sperare salutem, ut tacæam abhominationes quæ ex prohibitione nuptiarum multiplicatæ sunt, & perditiones corporum ex prohibitione ābarum ortas, quid quæso de reliquis eorum traditionibus & præceptis sentiemus? nisi hoc quod hic spiritus pronunäat, dicens. Qui prohibent nuptias & ābos, sunt spiritus erroris habentes doctrinas dæmoniorū in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium consæntiam, & qui his spirittibus attendunt id est qui sequuntur eorū doctrinas defœrunt á fide id est sunt infideles

sunt infideles, & ergo damnati, soli enim fideles saluantur & sola fide qua fidunt misericordiæ dei per Christum partæ & datæ.

Omnes ergo leges Papistarum quibus obstringere uolunt consæntias, hic sententiam suam habent, q̄ sunt doctrinæ dæmoniorum, quando, non relicta eis excusatione, duo exempli gratia posita sunt, quæ á se in alios reiœre non possunt. Fingant Tatianos fingant alios hæreticos, ipsi prohibent nuptias, ipsi prohibent ābos, quæ leges sunt pars doctrinarum dæmoniorum, quæ speäem habent pietatis, quemadmodū quicquid traditiones humanæ fingunt cultum dei, cæterum uim siue efficäam & rem ipsam pietatis abnegant, quemadmodum Paulus in secunda ad Thimotheum diat, ubi de nouissimis diebus rursum ait & describit procaldubio eosdem quos hic. Nam dum fidunt suis obseruantiis, fiduäam in deum non habent, sed pharisei sunt qui præ sua sanctitate reliquos iudicant peccatores & multo se inferiores.

Neq; uero hic proderit eos confugere ad sapientiæ humanæ & rationis argumenta, ut dicant. Qui fiat ut non sint hæc bona, quæ tam longo tempore seruata sunt á sanctis uiris et sapientibus approbata ab omnibus recepta, quæ cultum dei sapiunt & uitam honestam? Nam hæc ipsa quibus sic excusant efficiunt, Obiectio uulgaris.

ut ærius ista prophetia eos comprehendat, pertinent enim hæc uerba ad hypocrisim qua tegunt mendacii de qua hypocrisi dictum est. Speciem habent pietatis uim autem eius abnegant. Præterea dicam uno uerbo qui fiat ut hæc nõ sint bona, quia damnantur á uerbo dei, ubi hoc audiunt defendant sua hypocrisi ut possunt, Contra uerbum dei nulla ualet præscriptio temporis utcunq; longa, quam rem nisi esset tam nota quam quod notissimum possem multis historiis declarare. Contra uerbum dei non ualet autoritas hominum utcunq; sapientum et sanctorum, sed ne angelorum quidem quemadmodum audet Paulus, quanto minus ualet opinio uulgi & illorum qui per seductores seducti sunt? Neq; autus dei est sed Satanæ, quem cultum dei uerbum damnat, qui est ex doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam habentium conscientiam. Vita autem honesta multo melior hodie esset si nunquã nuptiæ prohibitæ fuissent, Si quid uero honesti est in papisticis legibus (quanquam hoc non debeamus illis, sed diuinis potius legibus et ciuilibus) hoc pro ciuilibus ordinationibus & bonis moribus deberet haberi, non pro diuinis legibus adorari, ut hominum consciențiæ solis diuinis præceptis sese agnoscerent obstrictas, ne filius perditionis & homo peccati hic sederet in templo dei quasi deus & peccata nobis suis

Cõtra uerbũ dei nulla honestas nulla autoritas, nulla ratio ualet.

prohibitionibus & legibus multiplicaret.

Atqadeo ne recipimus quidem, etiamsi multis miraculis, & spiritum ex inferis & purgatorio ipsorum sine etiam ex cœlo redeuntium reuelatione, dicant sua confirmata, quid enim attinet manifestum uerbum dei quod deus nobis commisit, ignotis miraculis de quibus nobis deus non mandauit abrogare? Stultum fuerit hoc & impium, & doctrinæ quæ hoc suadent non possunt non esse á Satana, An obscurum est hodie reuelato rursum euangelio quod Paulus ad Tessa. prædixit, istas dæmoniorum doctrinas inter quas sunt prohibitio nuptiarum & prohibitio ciborum, confirmandas per aduentum illius hominis qui uult sedere in templo dei id est regnare in cõscientis hominum ubi solum deum per suum uerbum regnare oportet, & confirmandas secundum operationem Satanæ, in omni potentia & signis & prodigiis mendaciis, & in omni seductione iniquitatis? Ita ut quemadmodum Christus prædixit oportuerit hic etiam ad tempus errare & seduci electos, ut per eos iudicio dei seducerentur alij qui malunt errores & peccata sanctorũ sequi quã dei uerbũ, ipsi autem electi postea cognito errore resipiscentes saluarentur. Nam legimus de quibusdã, inter quos est beatus Bernhardus qui in fine uitæ omnẽ iustitiã humanã et duros

Ne miracula quidem ualent contra nerbũ dei.

Confessio sola dei misericordia, per sanguinem Iesu Christi saluandos.

rum adinuentionum labores ante per aliquot annos peractos contemnentes, confessi sunt palam sese sola dei misericordia per sanguinem Iesu Christi saluandos. Alij autem contemnentes dei uerbum in pulchris suis erroribus derelicti sunt, non enim habuerunt dilectionem ueritatis, iccirco misit eis deus operationem erroris & efficacem errorem, qui non potuit ab eis aliter accipi quam mera sanctitas, de quibus ipse dicit in psalmo. Dimisi eos secundum desideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus suis. Horrendum est hoc dei iudicium si quis uidere posset, nempe sic nos relinqui nobis in adinuentionibus humanis, & sequi quæ nobis recta & sancta uidentur non quæ dei uerbo.

De miraculis.

Quando audis illud regnum, quod prohibet nuptias & cibos, confirmatum non dei uerbo, quid enim ueritas mendacium confirmaret? & dei uerbum hodie quærit ista impietas quo se defendat & inuenire non potest, sed confirmatum secundum operationem Satanæ, in omni potentia & signis & prodigiis mendacibus & in omni seductione iniquitatis, quid quæso boni tibi sperare licet de miraculis quæ passim referuntur? multa fuerunt Satanæ illusiones, quibus illusit nonnunquam etiam optimis uiris, ut per eos alij seduærentur, quemadmodum ante diximus, atq; per hæc confirmatum est purgatorium illud, & nundinationes missarum, fraternitates extra fraternitatem Christianam, peregrinationes etc. Omnes nocturnæ siue diurnæ uisiones siue reuelationes & omnia miracula etiamsi uere fiant, quibus confirmatur illud quod non habet uerbum dei atq; adeo quod uerbum dei reprobat, sunt meræ tentationes et seductiones. Nam Satan permittitur seduærre & in errore confirmare eos qui dilectionem ueritatis non susapiunt. Immo & deus ipse eos nonnunquam ueris miraculis iusto suo iudicio seduat, posti oblatum dei uerbum respuerunt, ut ipsi in errore pereant, & electorum fides hac tentatione probetur & exeræatur, id quod uobis ærtissime declarauit deus Deuteronomij decimotrao capite dicens.

Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium se uidisse dicat & prædixerit signum atq; portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi. Eamus & sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis. Non audies uerba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat uos dominus deus uester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, toto corde uestro & tota anima. Dominum deum uestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite uocem eius. Ipsi seruietis

etis & ipsi adhærebitis. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est ut uos auerteret á domino deo uestro, qui eduxit uos de terra Aegypti, & redemit uos de domo seruitutis ut errare te faceret de uia quam præcepit tibi dominus deus tuus, & auferes malum de medio tui.

Non suscipiendũ ad salutem æternã quod non præcepit deus.

His uerbis præmisit lex dicens. Quod præcipio tibi hoc seruato ut facias, nec addas quicquam nec minuas. Solum suum uerbum uult deus ita á nobis seruari integrũ ut nihil addamus nihil ei auferamus. Si quis autem contra hoc uerbũ uel saltẽ aliud uerbũ persuadere præsumpserit, ut sequaris cultũ dei quem deus nõ mandauit, ut præsumas ea quæ uerbũ dei nõ patitur, non debes audire eum, etiamsi quasi ex spiritu sancto aliquid futurum prædixerit, & hoc ipsum uere postea seatum fuerit, id quod certe non sequeretur nisi deus faceret qui omnia facit. Cum itaq; non debeas ueris credere miraculis contra manifestum dei uerbum, quo loco habebis Satanæ illusiones? Aut cur non iudicio respuis etiam signa & prodigia mendacia id est quæ iactantur, prædicantur, scribuntur ad confirmandos errores papisticos, et nunquam facta sunt? Eo impudentiæ quidam etiam nostris temporibus proæsserunt, ut prudentibus uiris suo mendacio non potuerint non esse abominationi, atq; hic uoluptas

uoluptas fuit illis mentiri de sanctis, de purgatorio, de reuelationibus è cœlis, ex inferis &c. Lex iubet tales occidi gladio. Nos autem eos, secundum uerbum Christi & Apostolorum, excommunicamus, id est Satanæ extra regnum Christi traditos declaramus, & occidimus eorum seductionem per uerbum dei, quod contra eos prædicamus, quemadmodum spiritu oris Christi id est euangelio sancto quod ex ore Christi prodit, prædictum est ab Esaia & Paulo impium Antichristi regnum occidendum, quod in Christi confessores etiam hodie ferro et igni sæuit, sed suo brachio sæcalari non præualebit aduersus brachium domini. Breuiter igitur contra uerbum dei, quod mandauit nobis deus, nihil susapiendum ne miracula quidem etiam quæ uere fiunt. Nam per hæc tentatur fides nostra an in uerbo persistere uelimus. Si hic credideris miraculo contra uerbum, actum est de salute tua.

Itaq; nemo miretur si qui discesserũt á fide ita potuerint papisticis erroribus implicari, quãdo necesse est recto carere iudicio et excœcari ubi reliquerimus uerbũ dei, quod est lucerna pedibus nostris, et lumẽ semitis nris, cui ut Petrus ait attẽdẽdũ est œu lucernæ, in caliginoso loco. Nam relicta ueritate ipsam umbram et speciem tantũ sequimur, quæ species sub regno papistico

Iudas episcopus non Christi sed Papisticus.

Iudas a= mat locu= los.

pistico supra modum optima uidebatur, ita ut etiam horrendas blasphemias & peccata potuerit occultare, ut proprie de eo dictum sit, in hypocrisi loquentium mendacium, & speciem quidem habentes pietatis uim autem eius abnegantes. Iudas proditor ille non uulgaris homo sed Christi Apostolus, nu tos habet imitatores, non Christi euangelium sed loculos & pecuniam amantes. Hi ut suam ambitionem & lucra sequantur Christum tradunt osculo id est sub specie bona pacis & dilectionis. Nisi enim bonã speciem prætenderent, quos quæso seducerent? Nomine utuntur dei, nomine Christi, nomine spiritus sancti, nomine sanctæ ecclesiæ, nomine euangelij, nomine pastorum, & sub istis nominibus agunt euangelij proditores. Hi sunt falsi prophetæ qui ueniunt in uestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.

Nunc uero audio illos tandem dicere, Nos non prohibemus simpliciter nubere. Nam nuptias commendamus & á deo institutas fatemur, immo & publicæ in conspectu ecclesiæ coniuges copulamus, adulteria & scortationes damnamus, & præterea ex matrimonio fcimus sacramentum ecclesiæ, multo sane maiori honore quam illi qui negant sacramentũ esse ecclesiæ Christianæ, tantum ad reuerentiã sacramentorum tractandorum prohibemus coniugum clericis & monachis, quos tanto puriores esse oportet quanto sanctiora tractant. Nihil aliud his respondeo, quam q, hæ sunt uoces in hypocrisi loquentium mendacium. Quantis enim prohibitionibus grauissimis coniugium á deo omnibus concessum, non solum clericis sed & multis alijs prohibentes, per impedimenta, quæ finxistis lege dei non prohibita, uel sola Sum ma illa uestra Angelica declarat, si ui non uacat alia legere. Qua propter siue permittatis coniugum aliquibus siue nullis, tamen certum est uos prohibere nubere etiamsi tantũ uni homini in terris prohibueretis, atq; ita agitis cum doctrinis dæmoniorum. Vos ad ultima et scortationes et immũdicias alias ista prohibitiõe, id quod negare hodie uobis nõ licet, multiplicastis.

Egregie uero honorastis matrimonium, dum ex Matrimõ
eo feastis sacramentum ecclesiæ, quasi inter Iudæos nium sa=
non fuerit coniugum, quasi etiam non inter Turcas mentum.
possit esse coniugium aut inter gentiles alios, quando Paulus filios Chorinthiorum sub gentilitate natos dicit mundos id est ex legitimo coniugio natos, quasi & inter impios qui se Christianos uocant & non sunt, atq; ideo non sunt de ecclesia, non sit coniugium. Tamen rursus despectum idem coniugium, feastis, dum puriores & magis aptos declarastis ad sacramenta Christi tractanda illos qui cælibes sunt, immo omnino inabiles feastis coniuges & prohibuistis ne

buistis ne quis nisi cælebs sit sacrorũ minister. Coniunx secundũ uos non potest prædicare, non potest consecrare corpus Christi, non potest esse episcopus, uix in necessitate permittitis ei baptizare, de quo tamen uobis gratias agimus q, istud magnum dei opus laicis utcunq; permisistis, dum portare plattas et tangere cælices uobis tantum seruastis ut taceam ea quæ uelut sanctissima sibi solis episcopi uoluerunt relicta, quando tamen humana tantum sunt inuenta. Esto matrimonium sit sacramentum ecclesiæ, cur uos illud negatis uestris clericis? forte ad ecclesiam Christi non pertinent quibus sacramentum ecclesiæ negatis; Cur ergo eos præ cæteris ecclesiasticos nominatis? Si sacramentum est ecclesiæ, cur ecclesia non utatur? quibus usum sacramenti ecclesiæ prohibetis declaratis certo ad eclecsiam Christi non pertinere. Videtis ue in quæ incommoda hac ratione incidistis?

Sed dicitis. Sacramentum ordinis acceperunt clerici, ergo sacramentum matrimonij accipere non possunt. Hæc enim duo sacramenta se simul in uno homine non patiuntur. His uerbis non facitis finem mendaciorum hypocrisi tectorum, sed fraudem quam uobis ipsis facitis cæci non uidetis. Coniugium quod deus instituit laicis committitis, humana mendacia id est fictos characteres & conscientias cauteriatas uobis seruatis, ut ita deus cum peruersis, qui eius reliquerunt atq; adeo oderunt uerbum, peruertatur, quemadmodum cecinit psalmista. Tot sectas clericorum & monachorum instituistis, qui absq; solicitudine & sudore uultus ex alienis laboribus alumde pascerentur, contra præceptum domini & Apostolorum, quemadmodum supra diximus, & eisdem prohibuistis ducere uxores, id quod deus nulli prohibuit, ut ita omnia uestra pugnarent cum præceptis diuinis. Quis non uidet quam uoluerit Satan in istis odiosis per istam prohibitionem regnum omnis generis libidinum multiplicari?

Hoc solum quæro à uobis num sancti fuerint episcopi quos instituit Paulus ad Timotheum et ad Titum scribens, quos uult unius uxoris maritos, pudicas habentes uxores, & filios omni morum probitate ornatos? Sine dubio apud uos hodie essent hæretici, & hæreticus Paulus qui talia scripsit. Nonne prædicabant euangelium dei, magnum sciliæt quemadmodum Paulus ait pietatis mysterium? Ad quid alioqui episcopi fuissent? Vestras enim unctiones qui habebant unctionem à sancto, ut ait Ioannes, ignorabant. Non nouerunt uestras rasuras, qui prædicabant circumcisionem spiritus non manufactam. Non agnoscebant aliud negocium sibi commissum quam

Alij olim episcopi atque nunc.

euangelij prædicationem, quam uos pro minima functione habetis in uestro clericatu, nisi q; nullos admittitis nisi rasos & unctos & eosdem cælibes, quando tamen illi quos sanctos sine dubio Paulus instituat nihil horum agnouerint. Vestra unctio uana est, nisi ungat spiritus sanctus, quemadmodum unctus est ille sanctus sanctorũ & sũmus sacerdos Christus Ihesus dominus noster. Cui enim dabitis euangelium Christi in pectus ut prædicet, ut maxime radatis & ungatis?

Administratio sacramentorum inferior longe est prædicatione euangelij.

Quod si illi sancti episcopi ab apostolis instituti predicabant euangelium sine unctione uestra, sine rasura, sine cœlibatu, sine dubio tractabant etiam sacramenta Christi, baptismum aquæ & eucharistiæ refectionem. Nam sacramentorum tractationem longe inferiorem habebant euangelij prædicatione, id quod hodie uos pro commodo & ocio uestro peruertistis. Icirco dæ prædicatione dicebant cum Paulo, Veh mihi si non euangelizauero, dispensatio enim mihi credita est. Sacramenta uero etiam ipsi tractabant, aut aliis potius committebant ut longe inferiorẽ functionẽ, ne suum illud euangelizandi opus negligerent, quẽadmodũ Paulus ait. Baptizaui paucos sed non misit me Christus baptizare sed euangelizare. Hinc & beatus Laurentius Romanæ ecclesiæ diaconus

diaconus longe aliter atq; nunc res habet, id est paucorum minister, qui plenus spiritusancto, thesaurum ecclesiæ id est pecuniã ab illis Romanis qui ni Christum crediderant in eleemosinam collatam habebat, ut in usus pauperum distribueret id quod & fideliter fecit. Ille inquam Laurentius tantum diaconus, non sane papisticus sacerdos, dixit ad beatum Sixtum martyrem, tunc Romanæ ecclesiæ presbyterum siue episcopum. Experire pater num degenerem tibi delegeris filium aut commiseris dominici sanguinis consecrationem. Ita refert beatus ambrosius eius uerba, & ita quoq; uos canitis in ecclesiis uestris, id quod tamen ille corruptor historiarum in historia Longobardica legit sanguinis dispensationem, ueritus illud quod Ambrosius nequaquam ueritus est, nempe ne diacono permitteret consecrationem sanguinis Christi, et nõ uidit aliud incõmodũ, nẽpe si dispensationẽ sanguinis Christi habuit diaconus, procaldubio dispensauit laicis, quemadmodum & in beati Cypriani martyris scriptis uidere licet, id quod hodie maxime hæreticum iudicatis. Sic & legimus q; beatus Hypolitus martyr suos seruos & ancillas in in ædibus suis, licet laicus, communicarit sacramento dominico quod á beato Iustino præsbytero acceperat. Nonne & apud Eusebium libro sexto parum eucharistiæ infusum id est sanguinis Christi sacramentũ,

puer à presbytero acceptum adfert ad patrem suum Serapioën ? Quãdo igitur illi primitiuæ ecclesiæ episcopi maxima tractabãt est id sacrũ Christi euãgeliũ, nemo negat et alia tractasse quæ sunt euangelij signa & confirmatio, nempe sacramenta dominica, & tamen habebant uxores & filios, nemo ne cogitabat quidem de prohibendo, nemo ne somniabat quidem istam uestram ex cælibatu sacramentorum reuerentiam.

Alij olim diaconi qua papisti à nunc.

Similiter nonne fuerunt sancti illi diaconi ab Apostolis, instituti de quo legitur Actis .vi. quos Paulus uult unius esse uxoris maritos, probatas habere uxores et filios ? Vnde igitur maiorem sãctitatẽ fingitis in uestris diaconis ? Sed illi sancti erant quia sãctũ habebant spiritũ, uestri sũt sancti quia nõ habent uxores. Illi habebant, ut Paulus ait, mysterium fidei in conscientia pura, uestri ne ipsi quidem sciunt quid habeant aut quid sint. Certum est uestros non esse quod illi fuerunt. Ordinabantur enim in ministerium pauperum, uestri autem tantum legunt in missis euangelium ita ut nemo intelligat, quos Paulus in ecclesia tacere iubet, quemadmodum & iubet omnes uos qui canitis tota die & nemo uestrum laicis interpretatur unde ecclesia acciperet ædificationem, exhortationem & consolationem. Sic enim ait. Nisi adsit interpres, tunc qui lingua loquitur taceat in ecclesia.

Vt uideatis

Vt uideatis uestra non hoc esse quod iactatis, et dum fingitis maiorem uestro cælibatu sanctitatem uos inidere in ea quæ sancti Apostoli Christi per spiritum sanctum damnarunt.

Prohibent nubere episcopos et diaconis. Noti.

Quid si prophetia Pauli hac sola ratione uos comprehendat, q̃ prohibuistis nubere episcopis & diacõis ? Vbi enim dixerat de episcopis et diaconis et de uxoribus atq; filiis eorum, de moribus eorum & mysterio fidei quod est euangelium sanctum, statim subiunxit. Spiritus ærto dicit q̃ in nouissimis temporibus spiritus mẽdaces prohibebunt nubere, quasi dicat, quod nos Apostoli Christi probamus ut episcopi & diaconi sint unius uxoris mariti, hoc illi prohibebũt et prohibebũt magna specie sanctitatis, nã in hypocrisi loquentur mendaciũ. Quocũq; igitur uos uertetis ærtum est ex hac una prohibitione, qua prohibetis coniugum uestris clericis uos defecisse á fide (quæ hic Satanam posset uidere latentem) & attendere spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendaciũ & cauteriatam habentium suam conscientiam. Nonne præstiterit nobis ad dei ueritatem redire, utcunq; iurauerimus aut uouerimus quam uobiscum o' noxios manere & alligatos doctrinis dæmoniorum & cauterio impietatis ?

Quemadmodum uero male æsit uobis ista exau-

 satio

satio qua excusatis nõ prohibuisse uos coniugium nisi tantum clericis & monachis, ita quoq; non suscipimus si dixeritis uos non prohibuisse cibos, quando omnem escam iudicatis esse bonam, tantum prohibuisse quibusdam temporibus, ut homines sanctum agnoscerent ieiunium quod etiam Christus commẽdauit. Nã nihil aliud erit, utcunq; dixeritis, quàm in hypocrisi mendatiũ ex doctrinis dæmoniorum. Etiamsi uno tãtum die prohiberetis quosdam cibos, tamen quis posset negare uos cibos prohibere? Nunc uero tot diebus per annum uexatis hominũ conscientias hac una prohibitione, ut faciant sibi peccata ubi peccata non sunt, id quod interim curauit in suo regno homo ille peccati & filius ille ad perdendum paratus, ut peccata tantum multiplicarentur per humanas traditiones, quando euangelium predicare non potuit id est remissionem peccatorum per Ihesum Christum dominũ nostrum. Taceo q, Carthusianis & quibusdam aliis monachis perpetuo interdicitis esum carnium, ut supra modum uideatur sanctitas, non ubi fides sed ubi sit abstinentia carnium. Hoc certe multo atrocius á uobis curatum est quam á pseudapostolis, qui illas tantũ carnes prohibebant quas lex Mosis prohibuerat. De hoc pudendo turpiq; errore q, in cibis quæritis iusticiam nõnihil supra diximus per quod sicut et per alia negatis dei misericordiã per Christũ nobis exhibitã.

Prohibent cibos quibusdam tẽporibus:

Nam

Nã quãdo ex fola in Christũ fide iustificamur, uos in cibis qui post digestionẽ egeruntur quæritis iusticiã.

Commendat quidem Christus ieiunium, sed dicite quos dies, quos cibos nobis præscripserit, immo dicite quos unq̃ cibos quacunq; ctiã die prohibuerit. Quod igitur Christus uoluit esse liberum, hoc uestra prohibitione feciis coactum, ne non & hic essetis Christo aduersi, & ne non Antichristos ageretis. Adeo estis uestris occæcati ieiuniis ut quæ uera ieiunia sint ignoretis. Ieiunandum enim est sine dæmoniorum istorum legibus, id est ut non quæras per hoc iustificari, nõ merita somnies si feceris, non demerita si non feceris, sed libere ieiunandum id est libera conscientia, quocunq; cibo, quocunq; tempore, quibuscunq; modis tibi usum fuerit, secundum rationem tui sani corporis ad hoc tantum ut sicut mente ita & corpore sobrij simus, ne insolescãt corpora contra spiritũ, id est ne, quemadmodum Christus dicit, corda nostra grauentur crapula & ebrietate, ut semper simus parati ad diem illum uenturi Christi. De uestro ieiunio uos ipsi dicitis in Esaia capite quinquagesimooctauo. Quare ieiunauimus & non aspexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti? Sed á deo auditis. Non est hoc ieiunium quod elegi &c. Et á Paulo ad Colossenses. Quæ sunt inquit rationem quidem habentia sapientiæ, sed in superstitione & humilitate, & non

Ieiunium.

H iiij ad parcn

ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

Papistæ in creaturis inueniunt peccatum Cristiani autem gratiarum actionem.

Sed neq; hoc uerum est quod dicitis uos iudicare omnem creaturam esse bonam, dum in usu creaturæ facitis uobis peccatum, dum utimur secundum dei uerbum & uoluntatem. Certe feria sexta non prohibetis nobis edere, id quod ne uos quidem seruaretis, sed edere carnes, dum ergo quisquis edit feria sexta, secundum uos non peccat, sed quisquis edit carnes, sequitur q; in carnibus inuenitis peccatum & creaturam dei bonam damnatis. Non igitur aufugietis quin hæc prophetia uos certissime notet et comprehendat, etiamsi dicatis. Carnes quidem sunt bonæ sed non debent edi in diebus ieiuniorum. Nam, ut taceam q; hæc differentia dierum sit quoq; ex doctrinis dæmoniorum, Paulus hic non dicit de bonitate naturæ, sed de bonitate usus, dum dicit. Omnis creatura dei bona est, scilicet ad usum ad quem creauit eam deus, bona est inquit ut sias te non peccare si recte utaris non contra dei præceptum, Hanc esse hoc loco sententiam, ex ipsis uerbis quæ adduntur tam notum est quam quod notissimum. Sic igitur damnatis ibos quemadmodum damnatis uxores, utinam autem idē præscriptum in utraq; prohibitione seruassetis permittendo sic uxores aliquo tempore sicut permisistis carnes. Nam tametsi iniustum & hoc fuisset ut aliquo tempore prohiberetis id quod uestri confessores in laicis nonnunquam tentauerunt, tamen quis non uidet multo tolerabiliorem legem fuisse? Vos impie legibus efficere uoluistis ad reuerentiam ut dicitis sacramentorum quod qui uere Christiani sunt libere præstant etiamsi sint episcopi & sanctorum ministri in ecclesia dei. Norunt á quibus rebus & quando sit abstinendum, etiamsi uos nihil præscribatis. Qui autem Christiani non sunt, uestris iustitiariis legibus etiam seruando pereunt,

Ad usnue nostrum et gratiarum actione creata omnia.

Opere precium est etiã uidere qui pergat spiritus declarare doctrinas dæmoniorum in istis exemplis duobus, quæ proposuit ut ex eis alia metiremur. Creatos inquit creauit deus ad percipiendum. Ergo qui prohibent percipere cibos, contra dei creationem & ordinationem prohibent, & declarent se esse antitheos & Antichristos, prohibent enim quod deus uult, & faciunt peccata in conscientis ubi Christus suo sanguine debuit mundare. Qui inquit non est mecum contra me est. Quicquid hic finxerint excusationis, quicquid sanctitatis, nihil aliud rursum erit quam in hypocrisi mendacium, & si fingunt bonas conscientias & bonas intentiones, nihil aliud erunt quám cauteriatæ conscientiæ. Debet enim homo scire

sua deo placere, non ex sua bona intentione sed ex dei uerbo. Sed uideamus & reliqua.

Pij edendo gloridibãt deum, & blasphemãt quidã suo ieiunio.

Cibos creauit deus ad perapiendum cum gratiarum actione fidelibus & ijs qui cognouerunt ueritatem quia omnis creatura dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarumactione perapitur. Tantum uult deus ut utendo creaturis agnoscas datorem & gratias agas. Hic duos tibi statuo ob oculos, ut uideas longe aliud esse dei iudicium quám mundi, & esse coram deo blasphemiam quod mundus iudicat sanctitatem. Est aliquis qui editdiebus quos uocant ieiuniorum carnes, et gratias agit deo, q, ubi dedit esurientem uentrem dederit etiam unde saturetur, et quãdo ad saturitatem, panis satis esset, dat etiam carnes dat & alia unde non solum ad necessitatem sed etiam ad uoluptatem siue si mauis ad maiorem corpusculi nostri commoditatem saturemur, quemadmodũ in psalmidicitur. Vt exhilaret faciem oleo, & uinum lætificet cor hominis, cum ad bibendum uidebatur sufficere aqua. Interim qui edit, multiplicis istius beneficij, benigni in nos dei patris memor, multipliciter gratias agit. Est & alius qui tunc non edit carnes sed pisces (sic enim differentiam nobis faciunt, quando tamen non ignoramus carnem etiam esse piscium) & somniat sibi aliqua merita, indulgentias & & iudicat alios esse peccatores & hæreticos qui carnes edunt. Hic non agit gratias deo, nisi forte istas. Gratias ago tibi deus quod non sum sicut cæteri hominũ. Quas enim gratias ageret deo qui creaturam dei interim damnat immo homines multo se meliores qui creaturis utuntur cum gratiarumactione? Quid pietatis haberet, qui ad iniuriam misericordiæ dei & sanguinis Ihesu Christi iustitiam suam quærit in ijs quæ edit? Non hic dico de infirmioribus in fide fratribus, qui non audent edere ne deum offendant, nam & isthi gratias agere possunt dum manducantem non iudicet, ut ait Paulus, id quod isti iustitiarij seruare non possunt. Ferendi sunt infirmiores donec fide conualescant & intelligant ueritatem.

Priori itaq; illi cum deo optime conuenit & cum hominibus. gratias enim agit deo & nullum hominem damnat. Alter autem contra deum agit dum fidit in suo ieiunio & adorat opus manuum suarum, agit & contra proximum dum eum iudicat, damnat & hæreticum facit. Fit itaq; iudicio dei qui cum peruersis peruertitur, ut qui præ cæteris suo ieiunio uult esse Christianus, nihil minus sit, sint autem quos ipse iudicat damnatos. Nam quando sola in Christũ fide simus Christiani, cuius fidei certissimũ symbolũ est charitas,

charitas, istē pro eo ut crederet in Christum credit in ieunium, & pro charitate exercet odium phariſaicum. Qui ergo Christiani ſunt ſentiunt cū Paulo dicente. Cur mea libertas iudicatur ab aliena conſcientia? Si ego cum gratia participo, aut blaſphemor pro eo q̄ gratias ago, Et ſcandalum latum cauent, quemadmodum ibidem admonentur. Siue in quit manducatis ſiue bibitis ſiue aliud quid facitis omnia in gloriam dei facite. Sine ſcandalo eſtote Iudæis & gentibus et eccleſiæ dei ſicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt ſed quod multis ut ſalui fiant.

Literæ butygicæ.

Vbi nunc ſunt literæ illæ papales q̄as butyricas uocant? quibus pro pecunia permittunt hæreſim id eſt edere butyrum in quadrageſima, permitterent etiam nobis euangelium ſi daremus pecuniam, niſi q̄ euangelium pro ipſis prædicari non poſſit. In illis literis ſcribunt ſe per mittere butyrum de utriusq̄ medici conſilio. Alterum medicum corporis alterum animarum uocant. Verum mendax appellatio eſt, quando medicus animarum dicitur qui per prohibitionem ciborum aut permiſsionem auret, non per uerbum dei. Et ferè fit ut iſti perſonati animarum medici occiſis animabus etiam occidant corpora, dum efficiunt ut boni medici corporum qui ſuadent uti ſalutaribus cibis non

bis non audiantur. Hinc Carthuſianum ægrotantem prius mori uolunt antequam permittant edere carnes licet etiam omnes medici corporum hoc ſuadeant. Ita iſtæ cauteriatæ conſcientiæ ſemper promouent in hypocriſi mendacium, & auertunt homines á gratiarum actione in blaſphemiam conditoris omnium & rerum ab eo conditarum. Occidunt homines, et homicidium hoc pro iuſticia & ſanctitate & gloria dei habent.

Addit Paulus. Fidelibus & ijs qui cognouerunt ueritatem. Omnia enim munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil eſt mundum ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia. Profitentur ſe deum id eſt ueritatem noſſe, factis autem negant, cum ſint abominabiles & increduli & ad omne obus bonum reprobi. Sine fide enim impoſsibile eſt placere deo, & quicquid ſine fide fit peccatum eſt. Sine fide autem ſunt & fiunt omnia, per quæ fiducianoſtræ ſalutis auertitur á deo in creaturam & in iuſtitias operum noſtrorum, dum per noſtra opera quærimus ſalutem, quám gratis offert pater ille miſerationum per Iheſum Chriſtum dominum noſtrū. Fide itaq̄ purificantur corda, quemadmodum ait Petrus in Actis Apoſtolicis purificatis autem cordibus. pura ſunt & uerba et opera, quæ ex purificatis cordibus prō

Sine fide á liquid fieri

dibus proueniunt, arbor enim bona non parit fructus malos, hic fiditur deo solo in omni necessitate et corporis & animæ, hic amatur uerbum ipsius, hic succurritur proximo egenti tribulato, peccatori, desperato, & succurritur gratis nulla quæsita mercede uel gloriæ uel alterius retributionis, quemadmodum deus gratis succurrit nobis, hic nullus iudicatur aut dãnatur. Hic mutuo portantur aliorum ab aliis onera, nemo fastidit inferiorem, nemo inuidet superiori, superiorem potius quisq; alium arbitratur, & honore alios præuenit, tantum abest ut hic contentio, clamor, inuidia, odium & cæteræ pestes locum habeant. Atq; hæc bona sunt purificati cordis, quæ non inuenies in iusticiarijs nostris.

Fide purificantur corda.

Iusticiarij infideles.

Sperant uero iusticiarij suis ieiunijs, in sanctorum inuocationibus, in lectione horarum canonicarum, in peregrinationibus, in bullis papalibus, & in reliquis obseruationibus, quæ sunt humane adinuentiones non dei præcepta, pro quibus etiã deus uitam æternam non promisit, ut miseri nesciant quid & quare sic faciant, nisi q; seducti credunt mendacijs humanis, quæ se sancta hypocrisi uendunt incredulis, hi dum sic fidunt talibus, quos secundum primum præceptum oportebat solo fidere deo, impuris cordibus sunt quæ sola fides in deum purificat per Iesum Christum, Hinc ædunt quidem fructus in spetiem bonos, in hypocrisi loquentes mendacium & comenteriatam habentes suam conscientiam, sed nihil horum potest placere deo, quando sunt increduli & ad omne opus bonum reprobi, & Christus Matthei septimo uocat eos operarios iniquitatis, præterea nihil horum seruit proximo per charitatem, & tamen sola quæ proximo impensa sunt agnoscentur á Christo quando dicet, esuriui & dedistis mihi manducare. Sitiui &c. id quod & Paulus ad Titum sic dicit. Discant nostri bonis operibus præesse, ad usus necessarios, ut non sint absq; fructu. Cui ergo seruiunt iusticiarij illi nisi sibijpsis?, sua quærunt, suum honorem & de se æstimationem defendunt, sese uindicare nituntur, feruent inuidia & odiis, ut pleni sint Satana qui se Christianissimos faciunt. Atq; adeo in tantam insaniam hodie prorumpunt ut uelint una hora (deo interim irridente eorum consilia) perditos quotquot fauent euangelio Ihesu Christi domini nostri.

Si Christiani sunt, unde eis tantum odium in euangelium Christi, quod certe hodie claris uerbis, non obscuris interpretationibus mundo prædicatur? Si oderunt euangeliũ, unde quæso sunt Christiani? Certe non inuenient unde dicãt se Christianos nisi ex tra-

nisi ex traditionibus humanis, neq; inuenient quo damnent euangelij amatores nisi ex traditionibus humanis, quæ sunt ut satis clare dictum est doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium. Satan erat homicida ab initio. Væh uobis impij homicidæ, qui diligenter soletis cauere irregularitatem, & dicere coram Pilato, nobis non licet occidere quemquam. Nam in uiam Cain patris uestri abiistis qui sacrificatis uestra opera infidelia, et Abelũ occidere cogratis, ut uerũ uideamus quod Paulus ait de illis qui resistunt ueritati, q; diabolus tenet eos captiuos ad suam ipsius uoluntatem.

Timent irregularitatẽ.

Manifeste autem declarat hic spiritus sanctus infideles esse & ignorantes ueritatis qui prohibent nuptias & cibos, qui tamen hodie se iactant sanctissimos & magistros omnium, quasi omnes errent quot quot doctrinas dæmonuorum non sequantur. Solum dei uerbum lux est, traditiones autem humanæ sunt ignorantia ueritatis. Infideles & qui cognouerunt ueritatem utuntur creaturis secundum dei uoluntatem cum gratiarum actione. Infideles autem & qui ignorant ueritatem sed cœci sunt & duces cœcorum, prohibent usum creaturarum non prohibente deo, atq; ita blasphemant, tantum abest ut gratias agant. Discesserunt ergo á fide et atttendunt spiritibus impostoribus &.

Porro

Porro ueritas sic habet, id quod hypocrisis non nouit, q; omnis creatura dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Bona est inquit non solum in se secundũ illud. Vidit deus cuncta quæ fecerat & erant ualde bona, sed etiã & uel maxime ad utendũ, de qua bonitate hic agitur, nam additur. Nihil reijciendum quod cũ gratiarum actione percipitur, et alibi dicitur. Omnia mũda mũdis inquinatis autem nulla creatura est munda, quæ de usu creaturæ dici nemo dubitat. Ne uero quis somniaret, id quod solent qui ex ista prædicatione faciunt libertatem carnis, q; etiam licæret uti creaturis contra præceptum dei, id quod esset abuti, quemadmoduste abusus cœperat inualescere apud Chorinthios, ut alius duceret nouercam suam, alius scortationem licere putaret & contendere pro re sua in iudicio &. Ne quis inquam hoc somniaret, additum est. Cum gratiarum actione. Non est gratiarum actio sed blasphemia dum dei ordinationem tua falsa libertate peruertere aupis. Quanquam quid attinet istud dicere, quando interim loquamur de fidelibus & ijs qui cognouerunt ueritatem, qui non possunt uelle ea quæ deus prohibuit? Nam ut maxime etiam peccent, tamen nunquam sua peccata probant sed damnant & contra per spiritum luctantur.

Omnis creatura bona fidelium.

Cum gratiarum actione.

Hic merito quæris quare dicat Paulus, Creat

I esse creaas

esse creaturas fidelibus et ijs qui cognouerũt ueritatẽ ad perapiendum cum gratiarum actionc, quando tamen manifestum est et infideles uti creaturis et quanto quis nequior est tanto gaudere meliore fortuna. Respondeo. Magnæ consolationi debet nobis esse hoc uerbum. Deus creauit fidelibus, ut sciamus, nos dum utimur creaturis cum gratiarum actione, uti rebus nostris, & ideo nos iuste uti & cum bona conscientia, quæ conscientia bona præciosior est Cræsi diuitiis, et iucundior ŏnibus mũdi deliciis, quemadmodũ psal. ait. Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas, & Salomon, Melius est habere bucellam panis cum gaudio quam domũ plenam cũ iurgiis. Fidelium esse omnia etiam alibi indicat Paulus, dum ait omnia edenda quæ uenduntur in macello, quia Domini inquit est terra & plenitudo eius. Si domini Christi sunt omnia quæ sunt in terra, sunt & nostra qui sumus per fidem in domino & unum cum ipso. Omnia enim sunt subiecta nobis in Christo. Quomodo enim qui dedit nobis et pro nobis filiũ suũ unigenitũ, non cum illo nobis omnia donasset?

Omnia sũt fideliũ & fidelium creata.

Creata omnia esse fidelibus clare indicat historia Geneseos ubi dicitur. Creauit deus hominem ad imaginem suã, ad imaginem dei creauit eum, masculum et fœminam creauit eos benedixitq; illis deus et ait Crescite et multiplicamini et replete terram et subijcite eam, & dominamini piscibus maris & uolatilibus cæli & uniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Dixitq; deus. Ecce dedi uobis omnem herbam adferentem semen super totam terram, & omnia ligna fructifera & quæ habent in semetipsis semen, ut sint uobis in escam & cunctis animantibus terræ omniq; uolucri cœli et uniuersis quæ mouentur in terra in quibus est anima uiuens, ut habeant omnem herbam uirentem ad uescendum. Vides itaq; homini á deo data & subiecta omnia, antequam per peccatum recessit á deo, dum dei imago in ipso uidebatur, atq; hoc est quod hic dicitur. Creauit deus cibos fidelibus & ijs qui cognouerunt ueritatem.

Similiter qui post peccatum, ubi nemo potuit esse iustus, nisi non imputante deo peccatum, imputante uero iustitiam, benedixit deus Noe & filius eius, quos fideles & iustos ipse fecerat, non imputando eis peccatum, quando reliquos omnes diluuio perdiderat, & dixit, Crescite & multiplicamini & replete terram, & terror uester ac tremor sit super cuncta animalia terræ & super omnes uolucres cœli cum uniuersis quæ mouentur super terram. Omnes pisces maris manui uestræ traditi sunt, et omne quod mouetur et uiuit sit uobis in cibũ, quasi olera uirentia tradidi uobis

 oĩa, id est sicut

fiat ante dedi fructus terræ uobis in escam, ita nunc insuper do carnes piscium & aliorum animantium. Ex quo rursum liquet. Fidelibus á deo creatas & traditas creaturas. Id quod etiam tam multæ benedictiones, in lege promissæ ijs qui audirent uoci dei, declarant.

Infideles nihil proprium possident in quo non peccent.

Si igitur fidelium sunt omnia quibus creata & tradita sunt, consequitur statim infideles utcunq; abundent, utcunq; floreant omnibus bonis, utcunq; fœlices uideantur, infœliciſsimos esse & miserrimos qui nulla creatura recte utantur id est cum bona coram deo conscientia, quando nihil iuste coram deo possident. Habent quidem multa sed non sua, peccant itaq; in omni creatura siue edant siue ieiunent, siue ducant uxores siue non ducant, siue cantent siue lugeant, siue cappas habeant siue chlamides, & ut amplius mireris peccant etiam utendo ista aura uitali, ut recte dixerit ille quisquis fuerit. Omnis impiorum uita impietas est. Nam & Christus dixit Iudæis, Nisi crediderit q, ego sum, in peccato uestro moriemini, & Paulus. Quicquid non est ex fide peccatum est. Miserrimus sit necesse est, qui conscientiam non habet q, ipse suaq; omnia quæ tentat & uersat deo placeant. Ditissimus rursum qui hanc conscientiam ex deo doctus habet, utcunq; parum uidetur habere, utcunq; etiam inopia premi.

Adam omnia perdimus.

Dominium in creaturas quod acceperamus, per peccatum Adæ perdidimus. Qui enim creaturas habemus quando creatorem amisimus? Cum deo recedente omnia recedunt, ut licet maneat beneficium dei, dum creatura seruire cogitur uanitati, nulla tamen creatura seruit in salutem. Licet enim pater faciat suum solem oriri super bonos & malos, tamen hi non meliores inde fiunt, illi autem gratias agunt et agnoscunt beneficum patrem. Non negat impio sua beneficia sed grauius ex his damnatur dum non agnoscat benefactorem, audit enim postea. Fili recordare q, bona acepisti in uita tua. Pii autem licet eisdem quandoq; abundent tamen corde in solo datore hærent non in datis & agnoscunt se dispensatores, quibus post hanc uitam restant ea bona quæ in deo sperauerant.

In christo omnia recepimus.

Verum quod per Adam perdita dei imagine amisimus, in Christum credentes integrum recipimus. quomodo enim non cum illo nobis omnia donauit? Hic redit iustitia id est imago dei, de quo Paulus ait. Renouamini spiritu mentis uestræ & induite nouum hominem, qui secundum deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Hinc et ad nos pertinet

quod in psalmo ad deum de Christo dicitur. Omnia subiecisti sub pedes eius, oues & boues, pecora, uo lucres, pisces, Hinc & Paulus nobis dicit. Omnia uestra sunt siue Paulus siue Apollo siue Cephas, siue mundus siue uita siue mors siue præsentia siue futura. Omnia enim uestra sunt, uos autem Christi, Christus autem dei. Qui autem in Christum non credunt, nihil eorum quæ in Adam perdiderunt recipiunt. Non ergo mirum si nihil coram deo bona conscientia possident, qui omnia perdiderunt & nihil receperunt, ut uideas quæ quandoq; legis in scripturis quid uelint. Impij de terra perdentur, iusti autem hæreditabunt terram & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. Et similia. Hinc canit psalm. Ne timueris cum diues factus fuerit homo & multiplicata fuerit gloria domus eius, quia cum interierit non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria eius. Ex his notum puto quare Paulus dixerit cibos creatos fidelibus & is qui nouerunt ueritatem, alij omnes sunt malæ fidei possessores.

Sed hic obstrepit aliquis dicens. Si nihil refert coram deo qui uiuant impij, ergo cur non scortentur adulteria committant, furentur, faciant quiduis? Respondeo, longe aliud est cum loquimur de iustitia que coram deo ualeat & cum de iustitia ciuili. Iustitiam ciuilem etiam uult deus, ne quid turpe uideant boni & iniurijs obruantur. Icarco & in lege instituit gladium & nunc quoq; magistratus ciuiles approbat, in defensionem bonorum & castigationem malorum, quemadmodum ait Paulus q. principes non sunt terrori bonis sed malefactoribus, nisi q. Satan omnia peruertit. Sed hæc iustitia nihil est coram deo, id est non est talis quam ipse pro iustitia acceptet, non enim mundificat cor, sed manus ab externo opere prohibet, quæ iustitia est quoq; phariseorum. Iustitia ciuilis.

Porro quando dicit. Omnis creatura dei bona est certum q. non de solis cibis dicit, sed de omnibus creaturis quibus fideles recte utuntur id est cum gratiarum actione. Ergo & mulier bona est, quam non scortũ facio cõtra dei præceptũ, non condemno quasi pectatiũesset mihi ista creatura uti id quod esset blasphemia in conditorem, sed facio eã uxorẽ meam quẽadmodũ deus ordinauit, & utor cũ gratiarum actione q. quando deus non dedit mihi ut aliter uiuere liceat, inueniam hic remedium contra scortationem, ut taceam alia quæ deus abscondit ab oculis stultorum qui nihil aliud nouerunt quam istũ sexum damnare. Neq; hic generalibus uti sententiis scripturæ opus est satis manifeste obuiauit deus doctrinis dæmoniorum quando Omnis creatura bona, etiam mulier.

quando magno consilio creauit fœminam dicens. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile ipsi. Et Salomon ait. Qui inuenit mulierem inuenit bonum, & hauriet iucunditatem á domino. Quæ sententia multo melior est quam omnia quæ Hieronimus contra Iouinianum congessit.

Qui inuenit mulierem.

Mulierem dicit bonam creaturam & bonam ad utendũ, nã de bonitate usus loquitur quãdo loquitur de eo qui inuenit mulierẽ. Impietas timet rixas, contentiones, odia, dilapidationẽ rerum, perpetua dãna & cæteres se in muliere inuenturam, & ferè fit, ut quemadmodum Solomon áit, quod timet impius ueniat super eum, non uitio mulieris quæ utcunq; incommoda uideatur iudicio cærnis, tamen iudicio spiritus bonum est, sed uitio impietatis uiri, quæ bono non nouit recte uti. Immundis enim & infidelibus nihil est mundum. Qui autem timet deum ærtissime in muliere inuenit bonum, atq; ideo inuenit ipsam mulierem esse bonum, habetq; pro commoda eam etiam quæ impio ualde incommoda futura fuisset. Nam primum agnoscit se eam acepisse ex manu benigni patris dei, icirco omnia quæ cum ea & in ea acepit, utcunq; mundus iudicaret incommoda, habet pro commodis, non solum ad salutem æternam sed etiã ad huius uitæ necessitatẽ. Sic sentit. Si aliter mihi expediuisset deus aliter mihi prouidisset. Necesse est commodum esse quod deus mihi obtulit, quem ut in aliis ita & in hac re patrem non dubito. Nouit pater noster quibus nos indigeamus etiam antequam petamus eum. Quæ infidelis prudentia cærnis mihi quandoq; suggerit dicens. Si aliam duxisses pulchriorem & prudentiorem, modestiorem melius habuisses, illa inquam fuissent mihi mors futura. Nam deus incommoda mihi, nouit, icirco non dedit. Nihil futurum fuit mihi adeo bonum atq; illud quod dedit mihi pater deus.

Hinc talis maritus, quia Christianus est, facile agnoscit beati Petri Apostoli admonitionem. Viri sint cohabitantes cum uxoribus secundum scientiam, quasi cum infirmiori uasculo muliebri, impertientes honorem tanquam cohæredibus gratiæ uitæ, ut non impediantur orationes uestræ. Hic fit etiam ut mulier talem sæpe experta maritum suos agnoscat defectus, & incipiat gratias agere deo q, talem dederit. Atq; ita in tali coniugio, si in deum respicias, gratiarum actio adest, si in coniuges, omnia per deum commoda. Fide hic opus est, cæro istu ridet ut stultitiam. Hæc est benedictio dei, timentibus ipsum promissa in psalmo, qui incipit. Beati omnes qui timent dominum &c. Qui ergo inuenit mulierem inuenit bonum.

iucunditas a domino in cõiugio.

Quod autem additur. Et hauriet iucunditatem siue uoluptatem á domino, oppono omnibus incommodis, quæ ratio humana & prudentia carnis de uxoribus excogitare potest & quæ hactenus scripta sunt satis impie, & quæ porro scribi possunt, uem etiam omnibus incommodis quæ necessario adsunt coniugibus, de quibus Paulus. Tribulationem inquit carnis habebunt huiusmodi. Quæ enim incomoda non commoda immo iucunda faceret uoluptas quæ uenit á domino? Nonne uoluptas hæc maior sit necesse est, quam quæuis carnis tribulatio? Nam ut taceam, q. deus maritum honore diuino dignatur dum facit eum dominum uxoris dominum filiorum, dominum familiæ, dum benedicit eius rebus & suppeditat uictum, dum facit pulchra prole beatum, dum consulit eius sanitati, non enim ne in his quidem derelinquit tamentes se, nam de his solum loquimur, tametsi etiam inter impios melius sit honestis coniugibus quam scortatoribus utaunq; diuersum sentiant, quid non melius habet, quid non tribulationis superat illa uoluptas á domino, nempe læta & recta conscientia qua scit se uxorem á deo accepisse, atq, adeo ex manu dei patris accipere omnia siue prospera siue aduersa carni iudicentur, icirco se omniaq; sua in coniugio deo placere, etiam illa non imputari per quæ quandoq; peccatur. Hæc conscientia assuefacit ut etiam inepiat gaudere q, iniecta sit in illam conditionem in qua multis cogitur prodesse, neq; uellet pro omnibus mundi bonis istam sortem, dum interim deus uult, esse commutatã.

Ex his notũ est, siat cibi boni sunt ad usũ ita & mulierem ad usũ bonã esse, et non nisi doctrinas dæmoniorũ esse quæ ista prohibẽt. Qui autẽ ista uult ignorare ignoret suo periculo, condẽne tuerbũ dei, sequatur spiritus impostores, inueniet suum iudicẽ, erit quãdo frustra eũ pœnitebit, nos tantũ consulimus illis qui ueritatem dei sare peraipiunt, ut ex doctrinis dæmoniorum ad uerbum dei redeant. Ego quanto diutius ista duo exempla (prohibentium nubere & abstinere á cibis) inspido, tanto magis miror Satanæ astutiam, qui suis doctrinis ita in hypocrisi potuerit loqui mendacium, ut sanctitatis specie prohibuerit illa reicti ad quæ deus & creatione & uerbo suo ipsi ad huc recenti mundo commendauit, quam astutiam notauit Paulus, dum creationis & creaturarum meminit dicens. Cibos creauit deus, & omnis creatura dei bona est. De cibis dixit deus. Dedi uobis fructus terræ in escam, deinde & omne quod mouetur & uiuit erit uobis in cibum, quasi olera uirentia tradidi uobis omnia. De coniugio autẽ. Crescite & multiplicamini & replete terram. Sic Satan semper statuit contra statuta dei, id quod primum fecit ille serpens

Que duo huc muuenti mundo commẽdata.

fecit ille serpens in paradiso, & promittit magnam sanctitatem, loquens in hypocrisi mendacium, ut imponat infidelibus, quemadmodum & ille dixit. Eritis sicut dii scientes bonum & malum.

At dicet mihi aliquis Hieronymus. Tunc dictum est. Replete terram, nunc autem terra repleta est. Respondeo. Sed deus non reuocauit suum uerbum, & doctrinae sunt dæmoniorum quae prohibent nubere. Virginitatis autem & perpetuae continentiae alia est ratio, de quo satis ante diximus.

Iam uero non satis est Paulo dixisse omnem creaturam dei esse bonam id est qua bene & sancte utaris, nisi etiam clare dicat unde sit bona, licet hoc etiã satis expressum uideri potuisset in uerbo gratiarum actionis, de quo ante dictum. Sanctificatur enim inquit per uerbum dei & orationem. Esto infidelibus & hypocritis non sancta sit ad usum creatura quia aut non gratias agunt, aut etiam in creatura inueniunt peccatum & haeresim ut uocant, Fidelibus tamen sancta est, propterea q habent uerbum dei & orant, quemadmodum dicemus. Atq; ita luce clarius est, uerbum Sanctificatur, non significare quod creatura in se sancta sit ad utendum. Per eandem enim creaturam quae in se bona est, alius peccat, alius gratias

Sanctificatur creatura.

gratias agit. Itaq; aliis bona est, alijs non bona, non propter se sed pro ratione utentium, non est sancta illis qui sine uerbo dei sunt & non orant id est plane infidelibus, in quorum numero uel primarij sunt qui attendunt doctrinis dæmoniorum, nam Paulus aut eos dixisse á fide utcunq; se fideles uocent.

Sic isto uerbo sanctificationis utitur quoq; ad Corinthios dicens. Sanctificatus est uir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per uirum fidelem, alioqui filij uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Id est coniunx fidelis potest sancte uti infideli coniuge & infidelibus filiis, non peccat eis utendo, prouidendo &c. modo infidelis coniunx & filij faciant quod ipsos in hac parte decet, imo peccaret fidelis coniunx eos deserendo, tam sanctus est cum eis atq; cum infidelibus, nam sunt creatura dei, ad usum illum bona quem deus instituit. Hic certum est infideles non esse in se sanctos immo potius damnatos, sed sanctos esse fideli, quando omnia munda mundis.

Sanctificatur inquit per uerbum dei et orationem, Verbum dei non est mihi uerbum dei nisi credam. Per fidem ergo quae est in uerbum dei sanctificatur mihi creatura. Ergo quia habeo uerbum dei, sanctus est mihi quicunq; cibus, quocunq; die, sancta est mihi uxor

Sanctificatur per uerbum dei,

est mihi uxor etiamsi minister uerbi dei & sacramentorum sum, idem uerbum non permittet ut abutar ulla creatura, idem rursum docebit me in nulla creatura peccare qua utor secundum deum cum gratiarum actione. Spiritus autem impostores, quia non habent uerbum dei sed doctrinas dæmoniorum, in cibis & in mulicre & in aliis creaturis inueniunt peccata, alioqui non tam diligenter prohiberent cibos & nuptias, & suis mendaciis, quæ in hypocrisi loquuntur istæ cauteriatæ conscientiæ, non sic pergerent obscurare, si fieri possit, diuini uerbi lucem, qua omnia sunt sancta credentibus.

Oratio per quã nobis creatura sanctificetur.

Porro oratio primum significat postulationem qua postulo á deo & corporis & spiritus necessaria & liberationem á malis. Postulat itaq; fidelis id est qui habet uerbum dei & non credit doctrinis dæmoniorum & mendaciis hypocritarum, postulat inquam à bos á deo, dicens Panem nostrum quottidianum da nobis hodie. Nostrum dicit, quia suum panem non aliorum uult manducare quottidianum, ne thesaurum in multos annos aut prædosa nõ necessaria postulare uideatur. Hodie, ne solicitus in oratione sit pro crastino die quasi dicat, Cras etiam orabo si uixero, & tu cras quoq; dabis qui nosti quibus indigeamus. Da nobis, non enim uult alium panem quam illum quem nouit se ex manu dei accipere, iniusta lucra non sequitur. Non norunt hanc orationem hypocritæ, ex doctrinis dæmoniorum fingunt nouos cultus dei, ut ex sudore aliorum ditescant, non laborant manibus ut suum panem manducent, fingunt longas orationes quemadmodum Christus dicit, ut deuorent domos uiduarum & grauius iudicium accipiant. Infœliccs certe, qui etiam peccata id est usuras & rapinas sub spede cultus dei edunt. Et ferè fit ut qui iusticiam in cibis quærunt, iniusta lucra sectari non uereantur. Non placet eis ut edantur carnes feria sexta sed nõ displicet q. ipsi ex iniustitia uiuunt.

Deinde oratio more scripturæ comprehendit etiam gratiarum actionem de qua supra dixiimus. Postulamus quæ nondum habemus, gratias agimus pro acceptis, ut sic semper siue habentes siue non habentes non alio sed ad manum dei patris respiciamus. Hypocritæ autem iusticiarij, dum habent uidentur gratias agere, dum non habent non ex deo sperant, sed ad sua consilia fugiunt & humanas prouidentias, aut certe suis operibus & obseruationibus & meritis sperant se accepturos, quibus etiam omnia referunt accepta, atq; hi inter eos sunt optimi.

Et sicut fidelis orat pro cibis & gratias agit, ita quoq; orat pro uxore, quando non ignorat uxorem bonam

bonam proprie dari á domino, quemadmodũ dixit Salomon, & pro eadem acepta gratias agit, ut supra diximus. Atq; ita intellige de omnibus creaturis quibus utitur. Igitur sanctificari creaturam per uerbum dei & orationem, nihil aliud est quam per fidem tibi esse ad utendum bonam & sanctam creaturam. Sola fides enim nouit uerbum dei, orat & gratias agit. Infidelitas ista non nouit sed pro uerbo dei habet doctrinas dæmoniorum. Non orat, licet plus cæteris orare uideatur, nam oratio solius fidei est, quæ fides ibi tantum est ubi uerbum dei regnat non doctrinæ dæmoniorum. Non gratias agit, nisi forte illas. Gratias ago tibi domine q, non sum sicut cæteri, quando enim patrem agnosceret, qui in aliis creaturis iustiam & meritum, in aliis peccatum deputat? Conuenit ergo ista sententia. Sanctificatur creatura per uerbum dei & orationem, atq; adeo plane eadem est cum illa. Omnia munda mundis id est fidelibus. Qui autem prohibitiones nuptiarum & ciborum sequuntur, defecerunt á fide, & ideo nihil est eis mundum, sed inquinata est eorum infidelis mens & cauteriata conscientia, & sunt ad omne opus bonum reprobi, quorum omnia bona opera quæ falso bona uocant, nihil aliud sunt quam sacrificium Cain.

á munda mundis.

Hactenus hæc de prophetia Pauli scripsimus satis multis uerbis

multis uerbis ut consolemur & confortemus pusillanimes, maxime uero ut succurramus aduersariis nostris quos maxime uidemur damnasse, si forte det eis deus pœnitentiam, ut ait Paulus, ad cognoscendam ueritatem, ut resipiscant á diaboli laqueis, á quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem. Non enim traducere quærimus homines, quemadmodum hodie aliqui ineptis prædicationibus nihil aliud agunt, sed per uerbum dei manifestare, quemadmodum debemus, & damnare eorum errores, ne post hac alios seducant, & ipsi quoq; conuertantur á spiritibus impostoribus ad dominum nostrum Ihesum Christum, qui est uia, ueritas & uita. Si qui sunt qui istum animum nostrum nolunt uidere, nempe nos uelle consolere illis qui adhuc errant, & consolari qui cœperunt resipiscere, fingant nos aliud uelle, & damnent nos ut uelint, excœcentur qui condemnant oblatam lucem, quid ad nos? Ego uero interim cõsolabor me fide, quam mihi dedit gratia benigni patris per Ihesum Christum dominum nostrũ, & præterea uerbis Pauli quæ post hanc propheticam sic addit. Consilium scriptoris.

Hæc proponens fratribus bonus eris minister Ihesu Christi, enutritus uerbis fidei et bonæ doctrinæ quam assiduæ sectatus es. Fratribus id est fidelibus siue Christianis est ista bona doctrina, ut caueant á spiritibus Fratribus.

bus impostoribus qui prohibent nubere & edere cibos, quasi in talibus sit dei iustitia, maneant autem in fide domini nostri Iheſu Chriſti, gratias agentes deo patri ſemper de omnibus. Illis autem qui fratres non ſunt ſed defecerunt á fide ad doctrinas dæmoniorum, quos Chriſtus pſeudochriſtos uocat, hæc doctrina non bona eſt ſed hæreſis, quando enim doctrinæ dæmoniorum probarent uerbum dei?

Bonus miniſter chriſti.

Et bonus eſt miniſter Iheſu Chriſti, id eſt bonus Apoſtolus, bonus epiſcopus ſiue prædicator, qui hæc proponit fratribus. Hodie qui defecerunt á fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus & doctrinis dæmoniorũ, dicunt qui talia proponunt eſſe hæreticos, & damnant bonos miniſtros Iheſu Chriſti, & ſatis commode, qui enim probarent Satanæ miniſtri qui ſequuntur doctrinas dæmoniorum id eſt traditiones humanas illos qui ſunt miniſtri Iheſu Chriſti;

Hoc uerbũ Pauli ſit iudex inter papiſtas & quos uocant Lutheranos, illi gloriantur ſe bonos miniſtros Iheſu Chriſti, ſed quia ſequuntur errores illorum qui prohibuerunt nuptias & cibos, immo et ipſi prohibent, etiam inuocato brachio ſæculari quia brachium domini perdiderunt, Paulus dicit eos defeciſſe á fide ad ſpiritus deceptores & doctrinas dæmoniorum, etiam ſi mendacia hypocriſi id eſt ſancta ſpecie tegant. Lutherani uero quos uocant, quia damnant

& uerbo

& uerbo & facto iſtas ciborum & coniugij prohibitiones, id quod deus reuelato euangelio uoluit, ita ut etiam impius mundus teſtimonium de ipſis ferat q; iſtas prohibitiones damnant, immo uelint nolint teſtimoniũ etiã ferãt papiſtæ, qui clamãt ſine modo O cœlũ o terra, q; iſtas prohibitiones dãnant Lutherani. Quia inquam damnant, & prætereá, quod maxime oportet, docent ſola fide in Chriſtũ nos iuſtificandos contra illos qui defecerunt á fide & nihil niſi defectionem fidei docent Paulus ex ſpiritu ſancto pronunciat eos bonos miniſtros Iheſu Chriſti et enutritos uerbis fidei et bone doctrinæ &c. Cæteriũ uerba dei opponit illis qui defecerũt á fide, in quibus, ut maxime ingeminẽt prædicando fides, fides, fides, nõ tamẽ uerba fidei inuenies. Bonam autem doctrinam opponit doctrinis dæmoniorũ in hypocriſi loquentiũ mendaciũ &c. I nunc hypocriſis et condẽna eos quos ſpiritus ſanctus probat, nõ facies nos hæreticos niſi prius Paulũ, immo Chriſtum & ſpiritum eius atq; adeo deum patrem omnium fœris hæreticum, finge quod uis, nos ſententiam dei pro nobis contra doctrinas dæmoniorum, nuptias et cibos prohibentium, habemus.

Epilogus.

Ad te igitur nunc redeo doctiſſime doctor & humaniſsime præceptor, nonne ex his omnibus uides, immo quis non uidet? quam Chriſtiane tuo coniugio gratulati ſimus? Gaude itaq; q. poſt defectionem

fidei redieris ad fidem domini nostri Iheſu Chriſti, ſine qua non eſt homini ſalus, q, á ſpiritibus impoſtoribus & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, redieris ad fidele uerbum dei quod eſt ipſa ueritas & lux uitæ æternæ, q, á charactere beſtiæ, id eſt á cauteriata conſcientia, qua fiduciam habebas in opera & obſeruationes traditionum humanarum, redieris ad ſignum dei uiui ut habeas nomen dei patris ſcriptum in fronte, ut conſcientia tua ſe uerbo dei tantum norit obſtrictam per fidem in Chriſtum. Gaude q, prohibentes nubere contempſeris quando deum aliud uelle intellexiſti, ut redires á condemnatione creaturæ, ad gratiarum actionem pro creatura, & illa quidem neceſſario, aarpta quid enim iudicaris ab aliena conſcientia pro eo quod gratias agis?

Votum et iuramentũ contra deũ de quo etiam ſupra.

Neq; hic te prohibere debuit iuramentum aut uotum. Iuramenta præſtanda ſunt quæ principibus, ciuitatibus, ſocijs & alijs facta ſunt, quæ non ſunt contra deum dum præſtantur, ut maxime non bonum iudicamus ſic, ut fit, omnia iuramentis repleri, dum alia ſæpe contra alia ſunt. Iuramenta autem uel uota quæ ſunt contra deum & rationem noſtræ ſalutis, nemo præſtabit aut præſtanda duxerit niſi planæ impius. Principes, qui hodie contra innoxium Chriſtianorum ſanguinem abutuntur gladio pro doctrinis dæmoniorum prohibentium nuptias & cibos, permittant quæſo nobis ut demus eam gloriam diuinæ maieſtati quám ipſi dant ſibi. Quando enim deprehendunt ciues aliquos ciuitatis iuraſſe aliquid conſulibus quod ſit contra iuramentũ ipſis uel præſtitum uel præſtandum ſtatim proferunt ſententiam, ciues plus eſſe obnoxios principi quam conſulibus, atq; ideo iurametnum conſulibus factum in hac parte eſſe irritum, ut non committatur aliquid contra iuramentum principi factum. Cur non permittunt nobis immutare iuramentum quod deprehenditur contra uerbum & ordinationem dei factum? Certe doctrinæ dæmoniorum ſunt quæ prohibent nubere, niſi quis hic blaſphemo ſpiritumſanctum uoluerit facere mendacem, & ego iuraui in iſtas doctrinas demoniorum per errorem, putabam enim me obſequium præſtare deo, quia uerbum dei non habeam, Nonne ergo utcunq; iurauerim, debeo abijcere doctrinas dæmoniorum ubi uideo mihi opus eſſe uxore, ut redeam ad uerbum & inſtitutionem dei? Scortari atq; adeo & alienam mulierem quæ tua non eſt conaplſcere prohibet deus, & perpetuam continentiam non habent niſi quibus deus dat, iuramenta hic nihil ad rem faciunt, quæ ubi opus fuerit, propter deum, cum timore dei abijciamus, poſtulantes ueniam temerarij

Principes deſinant deſendere doctrinas dæmoniorum.

iuramenti & nominis dei in uanum accepti, cum hoc tamen etiam gaudentes q, reuelato errore ex Satanæ laqueis euadimus. Suo periculo propter iuramentum maneat in doctrinis dæmoniorum, & suo periculo sentiat cum eis qui non uult audire uerbum dei, nos autem canimus. Benedictus dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est ex laqueo uenantium, Laqueus contritus est & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine domini qui fecit cœlum & terram.

Præterea optime doctor, gratam rem mihi feceris, forsitan etiam tibi ipsi, si hæc quæ scripsi tuæ uxori interpretatus fueris. Non enim me pudet etiam seruiisse mulieri quam deus istis præconiis quæ ante audiuimus nobis commendauit, & quæ est consors gratiæ dei quam habemus in Christo Iheſu domino nostro, in qua ualeat tua humanitas & semper & in æternum Amen.

Ex Vittemberga. Anno Christi. M. D. XXV.
In diebus canicularibus.

Impressum Vuittembergæ per Iosephum Klug.

Errata

A. v. tutumq;. lege tuũq;. B iij. sed pro paradiso. B. vi. iusticijs. D. ij hinni. D v. fauere. E. iij factus est. E. vi. quacũq; tandẽ specie. F. i. habere salutem. ibidem. hic dicere licet. F. iiij. quam quando deus. F. vij finxerunt. F. viij qua autem hypocrisi. G. i blaspemis. ibidem. et ista sub. G iij. inaudita. ibidem hæ sunt apud. G. iiij. et receptæ. H. i. Ne summum illud. H. iiij. facitis nobis peccatum. H. vi & scandalum tantum. H. viij & cauteriatam. ibidem. fideles & qui cognouerũt I. Creatas esse. I. ij. Similiter et post. I. iiii atq; adeo inuenit. I. v. hinc fit etiã. I. vi. quæ prohibent nubere.

Errata in margine.

A. iii. Verbum dei. A. vii. Sunt quædam &c. appone ad illum locum. fit nonnunquam &c. C. v De cũuchis. E. iii. Apostatæ &c. appone ad illũ locum. qui sunt, ergo. G viii. Matrimonium sacramentum. H. iii. Episcopis. H. v. gratiarum actionẽ, ibidem. glorificant. ibidẽ. blasphemant. H. vi. literæ butyricæ. H. viii. Timent irregularitatem. I. i. bona fidelibus. ibidẽ. Omnia sũt fidelium & fidelibus creata. I. iii. In adam omnia perdidimus. I. vi. recenti ad huc.

Reliqua corrigat quisque sibi.